DISPUTATIO

MEDICO-JURIDICA MORALIS

DE POENIS.

DISPUTATIO
MEDICO-JURIDICA MORALIS
DE POENIS.

QUAM,

ANUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS HENRICI SCHOLTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT HUM. ET THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN IURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

PETRUS MARIUS NOLTHENIUS.

MED. ET ART. OBST. DOCTOR.

AMSTELAEDAMENSIS.

AD DIEM IV M. MAJI MDCCCXLVI, HORA II—III.

DAVENTRIAE
APUD J. DE LANGE.
MDCCCXLVI.

MATRI CARISSIMAE

Sacrum.

Le renard au chat dit enfin :
Tu prétends être fort habile,
En sais-tu tant que moi? J'ai cent ruses au sac. —
Non dit l'autre, je n'ai qu'un tour dans mon bissac,
Mais je soutiens qu'il en vaut mille. —
Le trop d'expedients peut gâter une affaire;
On perd du temps aux choix, on tente, on veut tout faire;
N'en n'ayons qu'un, mais qu'il soit bon. —

La Fontaine, livre IX. fable XIV.

CONSPECTUS.

Haec disputatio jam prelo typographico tradita erat, quum de VII titulis cod. poen. Neerl. futuri, in Senatu cui nomen Tweede Kamer der Staten Generaal, actum est.

INTRODUCTIO.

Intelligentia nostra sponte et quasi instigatione naturali adjungit ideam defensionis omni injuriae, aeque ac ex omni violatione cogitatio poenae nascitur.

Poenae origo sine dubio repetenda est a vindicta quae post defensionem sequebatur, et certo tum plerumque commodum personale laesi, requisitum praecipuum fuit damni inflicti. Deinde sensim sensimque societas sibi hoc jus, laeso ademtum, adsumsit (1), idque recte, quoniam ipsa institutiones quas commodum univer-

(1) Saepe disputatum est de origine juris puniendi, quod societas exclusive sibi adsumebat. Plurimi statuerunt, societatem hocce jus acquisivisse ex conjunctione jurium quae unusquisque hominum antea separatim possidebat; ergo secundum hos, societas potentiam collectivam, aut jura conjuncta possideret, quae omnis homo extra hanc societatem exercere posset. — Minime autem huic opinioni assentior. (*Conf.* argumentum ad poenam mortis). Mihi videtur societas jus puniendi ex se ipsa acquirere, non jura collectiva hominum hancce potestatem ei procurare.

sum postulabat, ratione idonea defendere debebat. — Res gestas hominum, quae directe aut indirecte adversabantur huic commodo, habebat illicitas, adversanti certa quaedam incommoda infligebat, quae si directe, poenae juridicae, si indirecte, poenae morales erant.

Primis temporibus vindicta semper maximi momenti in omni poena habebatur, sed postea legislatores recte intellexerunt, in poena quam societas infligit nunquam licere, vindictam tamquam requisitum principale poenae, priorem locum habere.

Ergo vidimus initio poenas magis constitisse defensione et vindicta; deinde in diversis legibus poenalibus magis dominari cogitationem repensationis, retributionis, vel juris par pari referendi sive talionis; humanitate autem progediente, simul videmus accedere compensationem et restitutionem damni, tentamina ad innoxium reddendum aut ad ameliorandum maleficum et securitatem in futurum timore poenae; quae omnia modo haec modo alia videmus dominari, in diversis legibus et theoriis poenalibus.

Diversa systemata describere et explicare nimis longum erit, sed interpretationi faciliori argumentorum, quibus deinde utar, brevis adumbratio praecipuorum fortasse non inutilis erit.

Universe omnes theoriae diversae poenales, hisce duobus generibus praecipuis comprehenduntur.

Alterum, poenae finem magis considerat, e conspectu spirituali sive morali juris et aequita-

tis; alterum, magis e conspectu materiali, ubi commodum materiale praecipuum locum obtinet. Illud spectat ut jus persolvatur, et requirit, ut aequitas omne factum justa mensura remunerationis aut poenae aestimet. Hoc magis affectat commodum directum materiale quod poena obtinetur, magis in poena scopum quaerit ut quisque illaesus et quietus in societate vivere possit.

Quamquam hae rationes in theoria maxime inter se differunt, tamen in usu saepius, imo plerumque invicem appropinquabunt, quoniam poenae rationales cum requisitis amborum horum systematum conveniant, necesse est. — Tamen fieri poterit nonnumquam ut differentia theoriae, etiam differentiam in applicatione poenae efficiat; v. c. Poena satisfaciet ei, qui rem e conspectu spirituali considerat, quando malum inflictum aequiparatur justa mensura aequitatis delicto commisso, et quando malefico poena modo legitimo infligitur. Qui rem autem magis e conspectu materiali considerat, spectat ut poena sive malum, ipsum magis directe certiorem reddat, ne alii postea peccent.

Fortasse conjuncta haec principia, in praxi viam rectam mediam nobis ostendet.

Contemplatione in abstracto, semper res e contextu naturali trahuntur, et semper una tantum parte conveniet scopo proposito magisque practico. Philosophi theoretici nimis saepe specialiter agunt, et hanc ob rationem plerumque nimis in abstracto rem propositam considerant.

Quia autem res in vita communi obvias, raro vel numquam in abstracto existere videmus, hicce conspiciendi modus saepius in errorem ducat necesse est, quod nisi fallor experientia saepe docuit.

Diversae theoriae germanicae recentiores pro parte huicce vitio laborant, *Cf. D*[r]. *Hepp, Kritische Darstellung der Strafrechtstheorieen, nebst einem Versuch über die möglichkeit einer Strafrechtl. Theorie uberhaupt. Heidelberg 1819.* Omnes ad scopum unicum principalem, in poenis quas proponunt tendunt, et huic, tamquam fundamento, totam theoriam superstruunt in detrimentum aliarum consequentiarum, quae in praxi ita cum eo conjunctae sunt, ut evitari non possint. An v. c. semper retributor juridicus, (juridische Vergeltungstheorist), in vita practica tales poenas infligere poterit, quae eum retinebunt a territorio hujus theoriae quae deterrendi ratio directa, (Unmittelbare Abschrekkungstheorie,) dicitur? Et tamen haec systemata toto coelo in conspectu theoretico differunt.

Videamus brevem adumbrationem horum systematum praecipuorum.

I. Theoria retributionis moralis. (Moralische Vergeltungstheorie). Strictiore sensu theoriae retributionis nihil aliud spectant in poena infligenda, nisi consequentiam necessariam ex jure ortam, quae post factum illicitum sequitur. Theoria retributionis moralis eo tendit, ut poenas tali ratione adhibeat, ut pro vitiositate malifici infligentur. Haec in praxi profecto difficil-

lima erit, si pure aut plane existere posset, nam tum in omnibus judicibus cognitio perfecta et intima hominum fingenda esset, quae numquam in tali gradu exstare potest, ut omnes homines, ea ratione, quae cuique specialiter convenit, pendant, et ita actiones diversas retribuant. Praeterea haec theoria nimis exclusive solum spectat malificum, nulla ratione habita requisitorum quae necessario accedunt poenis rationalibus. *Cf. Jacob.. philosophische Rechtslehre oder Naturrecht. Halle 1802.*

II. Theoria ameliorationis moralis, (Moralische Besserungstheorie). Howard maxime huic theoriae deditus, magis admiratione dignus est propter humanitatis amorem, quam cognitionem hominum. Hoc systema praesertim tendit ad ameliorationem moralem malefici, quod principium magnam vim habere debet in poenis infligendis.

Hoc tamen considerandum est, ameliorationem quamquam ejus ratio habenda est in puniendo, numquam tamen solum et principalem scopum poenae esse debere.

Et praeterea, dubito an finis hic omni sensu hac ratione unquam obtineatur. Amelioratio moralis tum existit, quum evolutione libera sensus moralis, amor virtutis et horror mali nascitur. An poena hanc evolutionem liberam sensus moralis, cujus ante nullum vestigium erat, producere possit, quaerendum est. Puram certe ameliorationem moralem, ubi timor poenae maleficos a delictis retinet, non admitto. Hoc

systema in theoria profecto admirandum est, si in vita practica valeret, id magis adscribendum putarem theoriis praeventionis aut deterritionis., nam tum amelioratio magis ad haec postrema referenda sunt.

Si aliquando pure et plane apparet in agonia mortis, tum magis est amelioratio momentanea artificialis, et profecto parum valere potest in vita practica.

III. Theoria deterritionis directa. (Unmittelbare Abschrekkungstheorie). Scopus praecipuus poenae hic in theoria est, ut alii in futurum malo, quo maleficos afficiuntur, deterreantur. Sed nequaquam hic scopus principalis poenae rationalis esse debet, nam tum profecto poenae crudelissimae et admodum inhumanae, maxime huic fini convenirent. Et certe triste foret, si securitas nostra tantummodo in cruciationibus et malis aliorum quaerenda esset. Quistorp et Bekker inter alios, fautores principales fuerunt hujus systematis.

In legibus Anglorum poenalibus invenimus specimen hujus theoriae modificatum, ubi poenae etiam criminum leviorum, graviores imo crudeliores sunt, ut alii deterreantur (1). Quum au-

(1) Furtum 12 pence, antea puniebatur morte. Rex Georgius IV. hoc statutum mutavit, et poenam capitalem infligebat furtis ad 15. Liv. Sterl. adscendentibus, anno 1810. — Poena mortis sequentia crimina luebantur: Imitatio sigilli, in pulvere ad comam albandam adhibiti, (haarpoeder) *n.* 35. Georg III. *C.* 49. 1795.

tem exsecutio plena harum rarius in universum post condemnationem sequitur, et in proportione mitigatur, a nonnullis vocatur SYSTEMA COMMUTATIONIS.

Hoc systema per se multis vitiis laborare debet. 1. Humanitas et aequitas saepius postulat ut exsecutio vel tota vel pro parte commutetur, aut cogit judices excusationes saepe illicitas quaerere, in ita dictis *circonstances attenuantes*, quae interdum nequaquam existunt. 2 Incerti quatenus poenae lege praescriptae infligentur, malefici minus deterrentur, et spes impunitatis augetur. 3. Applicationem diversam legis nimis severae quae jure locum habere debet, poena saepius injusta fit, saepissime injusta autem videtur. 4. Saepius jus diversis et sibi invicem contrariis modis dicitur, in criminibus quae videntur ejusdem generis. 5. Poena nimis severa deterret laesum a persecutione malefici. 6. Laesus ipse et testes humanitate adducti, saepius testimonia mitiora imo falsa dant. 7. Sententia judicii degenerat in meram formam, quoniam poena mitigatur aut gratia datur, et haec cogitatio etiam vim in sententia ferenda habere potest. Dignitas et influentia corporationis judiacialis hisce vitiis imminuitur.

Introitus in domum regium cum intentione!! furti committendi, *n.* 33. HENRIC. VIII *C.* 12. 1542.; mors celata filii spurii *n.* 27. GEORG. II. *Cap.* XV. 1754; furtum cervi, cuniculi, leporis aut piscis etc. e sepimento clauso, sine armis aut cum iis, *Black act.* 9. GEORG I *C.* 22. 1732.

IV. Theoria praeventionis, (Präventions aut sicherungs Theorie), quae has rationes adhibet, ut finem propositum attingat:

1 Rationes quae a causa auferunt instigationem, quae adducebat ad actionem illicitam.

2 Causam moventem sc. libertatem ornare et erudire, ut homo moralis resistat instigationi provocanti, eamque domet.

3 Adhibere rationes satis graves et molestiam afferentes, ad oppugnandas causas provocantes, quando libertas vacillat.

In systemate practico poenali autem numquam hae rationes tamquam scopus principalis eminere possunt, quoniam crimina nobis fingere non possumus nisi in tempore praeterito, numquam in futuro. Falso huc referuntur verba Senecae, quae hujus theoriae fautores adferre solent, ut recte demonstravit *Vir. Cl.* H. C. Cock. *Commentatio de fine poenis proposito, cum ex rei veritate tum ex doctrina JureConsultorum Romanorum. praemio ornata Gron. 1818.* „ Nemo prudens „ punit quia peccatum est sed ne peccetur, „ revocari enim praeterita non possunt, futu- „ ra prohibentur." Senecae *de Clementia lib. 1 p. 16*, tum vir Cl. addit: „ haec sane verba „ uti certa quadam ratione sumta, falsa sunt „ dicenda, ita alio sensu accepta auream con- „ tinent veritatem; quippe si ad poenas con- „ stituendas referuntur plenissimum meretur as- „ sensum."

Multis partibus systema hoc praeventionis convenit, cum systemate Gallorum defensionis in-

directae, quod systema (1) Gallos tempore terroris, ad multas caedes inutiles et crudelissimas adduxit, quas committebant sub aegide legis, *loi des suspects.*

Quomodo autem hujus systematis rationes adhibendae sunt? Rationes praeventionis psychicae, e. g. educatio aut amelioratio moralis? Certe haec requiruntur in omni systemate rationali poenali, et magis accedunt theoriae FEUERBACHII. — Rationes physicae certo difficilius adhiberi poterunt sine coarctione libertatis individualis. WIELAND et KLEINSCHRÖD inter alios, fautores sunt hujus systematis.

V. THEORIA RETRIBUTIONIS JURIDICAE. (Juridische Wiedervergeltung).

Est nempe *talio* veterum, quam magis ex vindicta natam considerare possumus, translata ex XII tabulis in tempora nostra. Huic favebant KANTIUS, FICHTIUS, WEISIUS, GÖNNERUS et

---

(1) ROSSI indicat modum, quo defensio indirecta in praxi adhibetur.

La défense suppose un offenseur. Le prisonnier n'offense plus. Où donc est l'offenseur? L'offenseur ce sont les delinquants futurs. — L'existence de ces delinquants est moralement certaine si on ôte à la société le droit de punir. Il y a donc danger certain. Or un danger certain equivaut à une tentative actuelle, dans ce sens que l'un et l'autre légitiment la défense. — La logique est peut-être satisfaite, mais la raison?

La raison consent-elle qu'on inflige un mal présent et positif, en vue d'un danger probable?

ROSSI, traité de droit pénal. p. 111.

alii philosophi recentiores Gallici (1). Quae ratio quamquam in theoria aequa videatur, in praxi tamen non aeque habenda, nec admittenda est.

Perfecta talio exstare non potest, quoniam numquam duo homines in hac terra, iisdem conditionibus omni respectu fuerunt. *Talio Cruda* saepe valde difficilis aut impossibilis erit; si vero adhibetur, plerumque injusta, vel etiam interdum immoralis erit. Quomodo incendiarius puniretur? Num combustione suae ipsius domi? Aut fur? Num furto reciproco? Aut is qui falsa moneta fecit, edidit aut alteravit? Num ei eadem solvenda sunt? In stupro certe et adulterio, talio maxime immoralis esset. Et tamen Kantius eam commendavit et voluit: „ Ut poe-
„ na aequiparetur malo quod delinquens alteri
„ inferre voluit, aut ut ad eandem normam e-
„ xigatur ad quam alios ipse exegerit, et quod
„ sibi permisit in alios, id aliis in eum permit-
„ tatur."

In Cod. poen. nostro adhuc exemplum talionis invenimus in art. 182. In deliberationibus controversia de hoc articulo orta est, sed hoc in casu eam retinere placuit.

VI. Theoria Coërcitionis psychicae. (Psychischen Zwanges). Est systema hoc tempore maxime praevalens, et dignum auctore Feuer-

---

(1) C'est le triomphe de la liberté, lorsque les lois criminelles tirent chaque peine de la nature particulière du crime; tout l'arbitraire cesse, la peine ne dépend pas du caprice du legislateur. — Cf. Encyclopedie.

BACHIO et saeculo praesenti. Ratio qua tota theoria nititur, in eo consistit ut homo plena libertate agendi gauderet, et eligere posset inter bonum et malum, et vires intendit ut eum psychica quadam coercitione ad virtutem dirigat iis commodis quae cum ea conjuncta sunt, et eadem ratione incommodis diversis a malo deterrere. Consideranda est, tamquam composita ex theoriis *ameliorationis moralis*, *et deterritionis directae.*

Requisita principalia quo tendit poena, sunt in hoc systemate:

1. Deterrendi ratio directa, inflictione poenae.
2. Securitas societatis a facinoribus malefici.
3. Amelioratio juridica.

Adversarii hujus systematis illud dignitatem hominis laedere judicant, quoniam pugna continua, quae inde oritur inter commoda quae crimine acquirentur, et dolorem poenae, inter voluptatem praesentem et malum futurum, haec pugna assimilaret hominem cani, qui continue inter carnem et baculum dubitaret. Sed nonne homo in vita practica, (praesertim in classi ubi majorem partem malificorum invenimus,) eo plerumque animo est? Conf. de hac theoria ejusque adversariis: *Versuch der Berichtigung der Theorie des psychischen Zwanges*, *von Hrn.* BAUER *zu Gothingen*, *in Neues. Archiv des Criminalrechts*, *von Koponak*, *Mittermager et Roschirt. 9 band. 3 st. Halle 1827.*

Praeterea hanc ob rem hoc systema aliis anteponendum est, quoniam idea omnis vindictae,

ab applicatione poenae abest, poena tantummodo infligitur ad legem tuendam ejusque vigorem debitum retinendum, nec non ut alii quoque exemplo deterreantur.

Vir Cl. Cock l. l. p. 25. sic: „ Leges poenam minentes ideo sanciuntur ut firmiter sibi
„ persuasum habeant omnes, maleficia excepi
„ incommodis, commoda eorum superantibus,
„ atque ita criminum illecebris non capiantur,
„ sed potius a delictis penitus sese abstineant,
„ seu, quod eodem redit: finis poenarum con-
„ stituendarum in eo est positus, ut co-
„ actu psychologico omnes a delictis refrenun-
„ tur."

Si igitur attendimus ad contemplationes diversas, et ad studia quae recentiori tempore tentaverint elucidare diversas theorias poenales, si attendimus ad evolutionem moralem, et progressam culturae populorum recentioribus temporibus, tum profecto a priori concludi posset, eam magnam vim habere, in legislatione poenali. Tamen minime res sese tali modo habuit, minime eventus respondit expectationi. Quamquam progressus scientiarum physicarum sustulit poenas barbaras, et experimenta fallacia quae homini imputabant quod naturae erat, quamquam hodierno tempore non inveniuntur judicia Dei, (Godsoordeelen), pugnae juridicae, cet., quamquam humanitas plerisque in civitatibus equuleum cruciatorium aevi medii destruxit, nullo modo tamen praetendere auderem, aetatem nostram, (quando attendimus ad progressum culturae et

ad evolutionem moralem,) hac in re ea ratione emendatam esse, si quidem apud nationes diversas leges poenales non emendatae inveniuntur, in proportione progressus humanitatis.

Gallia, (cui debemus legem poenalem pro parte commutatam et temporariam, nisi fallor per 32 annos,) ejusque mors civilis, confiscatio et poenae saepius severiores, quae judicem cogunt ut ad ridiculum usque modum refugiat in *circonstances attenuantes* (1), nemini exemplum esse poterit.

Nec Anglia ab hac regula excipi poterit, si leges poenales nimis severas consideramus, quae profecto debet systemati commutativo (2), et panaceum suum universale fustigationis.

---

(1) Poenae nimis severae in criminibus politicis, (vestigium arbitrii Napoleontis,) nec non institutio quae vocatur Jury, conjunctim hoc epidemico modo ad condemnationes criminum socialium extendebant. — Sic videmus circonstances attenuantes etiam plerumque iis in casibus adhiberi, ubi numquam aut rarissime extare potuerint. V. C. In Gallia in spatio 8 annorum 1836—43 videmus 101 Condemnationes parricidiarum, quorum 75 cum circonst. atten. Etiam 1836—1843 invenimus 224 condemnationes veneficorum, horum 196. cum circonst. atten. — Et 1641 caedes, quorum 1407 cum circ. att.

Gaz. des tribun. 23 Dec. 1845.

(2) Ibi vidimus, quod nimis severitas legis poenalis vim ejus debilitat, et sic plane effectum contrarium quem legislator sibi proposuit producat, quoniam judices humanitate naturali et aequitate adducuntur, ut excusationes quaerant ubi non adsunt. Durante spatio 7 annorum, ab anno 1820 usque an annum 1826, in Britannia 7656 maleficos ad poenam mortis condemnatos videmus, et tantummōdo 528 horum poenam luebant, ergo 2 ex 29.

Prussia, ubi disruptio membrorum super rota adhuc viget, ubi nuper regicidam Taesch huic poenae videmus condemnatum, ubi incendiarius in quibusdam casibus igne vivus crematur, ubi crimen proditionis patriae etiam liberos delinquentis potest affligere exsilio, non majori laude digna est.

Germania, ubi in universum adhuc vis constitutionum criminalium Carolinianum in diversis legibus poenalibus observatur, in praxi fastigium minime attingit, quamquam certe theoria reliquis praevalet.

Quod ad novum orbem attinet, hoc respectu quasi in infantia legislationis poenalis versatur, America Septentrionali pro parte, praesertim Louisiana excepta.

Quid Belgium Septentrionale sive patria nostra? Spero fore ut tempus doceat nos minime morari, et hoc quoque respectu cum humanitate progredi. — Circumstantiae diversae et necessitas, nobis imposuit codicem satis imperfectum, reliquias dominationis extraneae Gallicae, neque moribus nostris respondentem. Vidimus quatenus decretum temporarium, vigens per 32 annos, eum mutaverit, neminem tamen credo, codicem poenalem apud nos vigentem, exemplum ponere posse. — Quum autem finis propositus in hoc libello, inprimis poenas nostra in patria vigentes spectat, eum hoc in loco nolo amplius perscrutari, quoniam id facilius et magis modo methodico perficere posse credo, in inquisitione speciali de diversis poenis.

DE POENIS IN UNIVERSO.

In initio hujus partis statim quaestio oritur: quid est poena? et revera quum ad responsiones et opiniones diversas temporum diversorum, et discrepantiam scriptorum attendimus, tum profecto difficultatem definitionis, quae per se semper finibus angustioribus circumscribitur, hoc in casu intelligemus.

Optima autem definitio generalis poenae, quae requisita diversa poenae rationalis comprehendit, nisi fallor ea est, quam Vir Cl. Cock in commentatione citata proposuit. „ Poena est „ malum, quod propter actiones editas, legi „ contrarias, nec nisi propter eas, alicui a civi„ tate infligitur."

Haec definitio sufficit ad adumbrationem ideae principalis, sed varia requisita non describit, neque clara et brevis definitio ea omnia describere potest. Requisita poenae rationalis apparent, mea opinione, quando diversas ideas fundamentales theoriarum quarum nuper mentio facta est, prudenter conjungimus, ita ut alia non in detrimentum alius negligatur.

Quibus consideratis, haec sequentur, quod

requisita principalia poenae rationalis, scopum attingentis, naturaeque hominis aptae, sunt:

I. Poena debet malum esse malefico, et eum directe et modo idoneo afficere, ut bene intelligat, hoc malum in consequentiam actionis illicitae, legi contrariae, ei accidere.

II. Proportio accurata, intima, debet existere, inter mensuram poenae et criminis.

III. Poena in propinquo et cum certitudine debet maleficum afficere.

IV. Poena debet alios retinere vel deterrere, ut se abstineant ab iisdem actionibus criminalibus, post quas poena sequitur.

V. Poena debet maleficum quantum fieri potest, innocuum et meliorem reddere.

Credo, nullum systematum superiorum talem poenam improbare, quando hisce quinque requisitis respondet; quamquam forsan diversae theoriae, diversam ideam suam principalem magis eminere, desiderarent.

Transeamus nunc ad illucidationem horum requisitorum.

I. Poena debet malum esse malefico, et eum directe et modo idoneo afficere, ut bene intelligat, hoc malum in consequentiam actionis illicitae, legi contrariae, ei accidere.

Nemo certe dubitat necesse esse, ut poena malum sit malefico; si enim ei non malum est, id quod pati debet, non amplius poena esset.

Eum directe debet afficere. Nonnulli distinguebant *mala directa* a *malis indirectis*, idque recte; quorum illa malefici ipsius personam, haec

etiam pro parte ejus propinquos et cognatos afficiunt, quod postremum semper saxum erit, in quo legislator poenalis naufragium faciet in poenis corporalibus constituendis. Numquam autem aequitas admittere potest, ut legislator hunc scopum speciali modo petat, quamquam nonnulli opinionis contrariae fuerint et *malum indirectum* admiserint (1). Certe, ratio sana non facile praejudicatam opinionem (vooroordeel) tollet, quae adhaeret propinquis et cognatis condemnati. — Ne tum quidem, si omnes poenas corporales rejicimus evitare poterimus ideam infamiae, quae semper cum poenis conjuncta est. *Mala mere directa*, in poenis exstare prorsus non possunt. Hanc ob rem vehementer dubito, num approbandae sint exsecutiones in effigie aut in cadaver delinquentis factae, cujus rei exemplum est in Cod. poen. Modenae, ubi suicidae corpus, in nonnullis casibus, patibulo suspenditur, ejusque bona confiscantur.

Modo idoneo malificum attingere. Hoc verbo illud volo, ut poena quantum fieri potest, in proportione personae delinquentis sit, alio-

(1) Quamquam haec simplicia et aequa plerisque videntur, legislator in Prussia alius opinionis erat. In Prussia uxor incarceratur, quando desertioni mariti faverit et bona ejus publicantur. Quando autem non impediverit desertionem, aut maritum non prodiderit!! bona tamen publicantur. Quando inscia et innocens erit, bona publice retinentur, et administrantur usque ad mortem mariti.

quin saepius malum inflictum desineret poena esse; v. c. qui antea jam subiit expositionem publicam, aut lege infamis declaratus fuit, novam expositionem aut iteratam declarationem infamiae, non ut poenam considerabit. Hoc respectu etiam aggravatio poenae in proportione poenae primitivae esse debet; v. c. aggravatio poenae mortis parricidae et aliis vitiis laborat, et quam maxime vitio sequenti: Poena detruncationis manus ante ultimum supplicium parricidis inflicta, non mortis poenam in proportione aggravare potest; est tormentum inutile, quod nec delinquentem idoneo modo afficit, aut poenam mortis rationaliter acerbiorem reddit, neque alios ab hoc crimine magis deterrere potest.

II. Proportio accurata, intima, debet existere inter mensuram poenae et criminis.

Vitium maximum est in lege poenali quum aut poenae nimis leves aut nimis graves criminibus constitutae sunt, ita ut poena et delictum omni proportione inter se careant.

Leges non observantur si poenae nimis leves sunt: plerumqne tum quasi transactio oritur, pensione commodi majoris quod e crimine nascitur, contra minus incommodum poenae, ita ut eventus in favorem illius et spes impunitatis, quae facile accidere potest, delicta magno numero augeant.

Si e contrario poenae nimis severae sunt, judices sensu naturali aequitatis et humanitatis ad-

ducti, refugium quaerunt in labyrintho damnoso circumstantiarum attenuantium. Recte MONTESQUIEUVIUS ad huncce locum: „ L'atrocité des „ lois en empêche l'exécution; lorsque la peine „ est sans mésure, on est souvent obligé de „ lui préférer l'impunité." — Britannia praebuit exemplum luculentissimum (1). Etiam in Gallia institutiones jam obsoletae docuerunt, poenas nimis graves numerum criminum augere; impunitas provocatur, quoniam laesi verentur justitiam nimis crudelem invocare. Antea

---

(1) In universe hoc vitium vim exercere videmus in omnibus legibus poenalibus Britanniae. Secundum statuta GUILLELMI III n° 10 et 11, nec non GEORGII II n° 24, crimen capitale declaratur furtum 12 schill. in taberna commissum, unius schill. quando furtum privatum, et 40 schill. quando in domo habitato commissum fuerit. Supra vidimus GEORGIUM IV crimen capitale tantummodo admisisse, quum furtum 15 liv. sterl. superaret. Universe hoc vitium maximam incertitudinem in poenis applicandis produxisse videmus. Ex relatione viri praecl. ABERCROMBIE patet, ab anno 1805 usque ad annum 1811, locum habuisse 598 furta in officinis publicis. Horum tantummodo 120 condemnabantur ut crimina capitalia, et post *nullum* exsecutio sequebatur. MACINTOSCH annotavit ab anno 1814 usque ad 1820, 85487 accusationes capitales judicatas esse, quarum 7683 condemnabantur, et tantummodo 693 exsecutiones locum habebant. Ab altera parte interdum severitati inhumanissimae hoc systema ansam dedit. Anno 1837 (Cf. diarium *London observer. mens. februar hujus anni*) quinque homines poenam mortis luisse videmus, quorum aetate maximus 25 annos natus erat, idque propter furtum infra valorem 100 liv. sterl. sine circumstantiis hoc crimen aggravantibus.

vel minimum furtum domesticum poena mortis puniebatur. VOLTAIRE annotat in commentatione operis BECCARIAE: „ Les maitres volés se con- „ tentaient de chasser leurs domestiques qui al- „ laient voler ailleurs."

Vitiosa proportio inter poenam et crimen ad caedem quoque perpetrandam invitare potest.

Fur domesticus in flagranti delicto prehensus, si ultimo supplicio punitur hoc ob delictum, adducitur magis ad caedem, quia poena eadem manet, caede autem insuper perpetrata, impunis fortasse manere potest, nam crimen non detegitur. Haec profecto jure habenda est causa caedium multarum cum effractionibus domesticis conjunctarum, quae antea in Anglia observabantur. BENTHAM narrat, in Anglia et Hibernia directores officinarum in quibus gossypium netur, abolitionem poenae mortis quae furto gossypii imposita erat requisivisse, quoniam minime haec poena fini proposito respondebat; furta gossypii contra augebantur, nam directores officinarum gravitate poenae deterriti, malebant delicta justitiam celare, et inde impunitas nascebatur.

Ergo vitiosa proportio inter poenam et delictum contrarium effectum saepe producet, quem obtinere volebant legislatores: si poena nimis mitis proposita est, lex non observatur; si nimis gravis, ne deterritionis quidem effectus producitur; justa proportio inter poenam et delictum commissum, si accedit certitudo et pro-

ximitas mali quod poena producitur, vim repressionis constituit (1).

III. Poena debet cum certitudine et celeritate, aut in propinquo maleficum afficere.

Est naturae humanae attributum, ut res nimis remotas minus aestimet; sic praemiis aut poenis quae statim sequuntur, majorem vim adscribere possumus. — Recte igitur Lucas, in opere: *Du système pénal et du système repressif, Paris 1827*, dicit: „ La certitude de la „ répression est en raison inverse de la rigueur „ de la ménace, et la diminution de la cri- „ minalité est en raison directe de la certitude „ de la repression.

Fieri potest, mala nimis remota vitium principale poenarum divinarum et religiosarum esse.

Quod ad certitudinem poenae applicationis attinet, ejus vim jam vidimus pro parte pag. 19 ubi de legibus poenalibus nimis severis egimus.

Praeter hanc spem impunitatis, quae legibus aptis tolli potest, alia manet, quam difficile

---

(1) » Toutes les fois que des jurés, mêmes sâges, mêmes » purs ont vu une législation inexorable frapper d'une » peine précise un délit, qui ne leur paraissait pas mériter » tant de rigueur, ils n'ont pas voulu, ils n'ont presque » pas pu se persuader que cette pensée dût leur rester » étrangère; leur conscience éclairée sur la vérité du fait, » s'est trouvée en discorde avec leur conscience blessée de » la disproportion de la peine. En vain la loi leur a dit » que la peine est de son ressort à elle seule, que l'appli- » cation n'en appartient qu'au juge, ils se sont soulevés » contre ce principe tout certain qu'il est.

Target *sur le Cod. Pen.* Locré *tom.* 29. *p.* 19.

aut nullo modo tollere possumus, haec nempe quam malefici semper in suum favorem computant:

1. Delictum celari posse sperant. 2. Persona delinquens ignota manere potest. 3. Fieri potest ut justitia malificum non attingat. 4. Si prehensus quis sit, testibus et probationibus deficientibus, nihil probatur neque condemnatur. 5. Si condemnatus sit, gratia aut imminutio poenae ipsi contingere potest.

Haec incertitudo in favorem maleficorum numquam plane evitari potest, sed caveamus ne haec vitia per se existentia augeamus et adjuvemus legibus minus aptis; et semper teneamus spem impunitatis nasci, ubi certitudo evanescit.

IV. Poena debet alios retinere vel deterrere, ut se abstineant ab iisdem actionibus criminalibus, post quas poena sequitur.

Recte hoc in loco *Mr.* de Peijramont, *Rapport sur les prisons 1832* „ L'intimidation bien plus „ que l'amendement constitue l'effet préservatif „ de la peine, car l'amendement n'agit que sur „ un coupable, l'intimidation agit sur la société „ entière.

Est requisitum necessarium poenae (1), quam-

---

(1) » Poena unius sit metus multorum. *Lex* 1 *Cod. ad* » *leg. Jul. repetund.* Etiam Cicero *de off. lib.* 1 *C.* 11. » Utimur poenis aut ne is qui deliquit tale quid posthâc » committat, aut ut caeteri sint ad injuriam tardiores." Id nostra in patria quoque agnoverunt.

» De krachtige werking der wet behoort afschrik in te » boezemen, zal de strafwet aan het voorgestelde doel be- » antwoorden. — Afschrik aan den gevangenen, opdat hij

quam numquam solum eminere debet, ut in *theoria deterritionis directae*. Hanc ob rem poenae corporales certe in universo efficaciores erunt, quum poenae psychicae magis effectum secundarium producunt. Homo sensibus subjectus est, et praesertim homo minus excultus, et certo major pars maleficorum hujus generis est. — Poena corporalis physica, magis in proportione est intellectus minus exculti et sensuum rudio-

» van het plegen van nieuwe misdaden worde weêrhouden; » afschrik aan anderen, opdat de vrees voor de straf hem » tegen het bedrijven van bij de wet verboden handelingen » waarschuwe." *Memorie van toelichting voor het Concept van het Wetb. van Strafr. aan de St. Gen. aangeboden* 17 *Nov.* 1843.

Poena proposita, nempe excoecatio, in mysteriis Parisiensibus a Sue scriptis, hoccè respectu, vitio maximo laborat. Haec poena profecto maleficum innocuum civitati reddit, sed eam plane rejicimus ut barbaram et inhumanissimam. Maleficus qui hanc poenam excoecationis subit, (plerumque ex statu inferiori societatis), cujus facultates mentales minus evolutae sunt, memoriae vitae praecedentis vitiosae plane relinquitur, et sic cogitur in circulo vitioso semper moveri; egestàte quoque semper dependere debet a commiseratione aliorum. Quam horrenda sit haec poena patienti, tantummodo ii intelligere possunt, qui magis rem perscrutati sunt; plurimis minus excultis, non producet deterritionem quae meretur. Melius si facultatem plane contrariam haberet. Quamquam Sue ut inventorem hujus poenae se prodit, jam antiquissimis temporibus in usu erat. Jam in Repub. Hebraeorum, cf. *Judic Cap.* XVI *vs* 21. *Regum lib.* II *Cap.* XXV *vs* 7. Etiam apud Romanos, Valer. Maxim. *L.* V. *C.* VII. *Apud Germanos*, cf. Kress *ad art.* CLIX. Matthaei *de Jur. Glad. C.* III *N.* VI. et Holtaus *Glossarium voce* » *Augen.*"

rum; poenae psychicae, eos non aeque deterrebunt, quoniam moralem tantum sensum affligunt, qui aut minus aut nequaquam existit. (Cf. de his ea quae dicam ad poenam Expositionis). Effectus diversus poenarum non dijudicandus est ex animi cultura hominum humaniorum, sed in judicio practico et vero descendere, et nos iis assimilare debemus.

Certe poenae psychicae quae tantummodo sensum moralem, qui in maleficis vulgo minus existit, laedere possunt, non multum valent contra commoda physica quae crimine producuntur. Multi hoc principium condemnant, quippe indignum nobilitate hominis, in vita tamen practica videmus rem se tali modo habere.

Ex praecedentibus per se patet, exsecutionem publicam poenae, arcte cum hoc principio conjunctum esse. (Infra exsecutionem publicam ultimi supplicii perscrutabimur.)

Recentiorum tamen opiniones de hoc argumento valde differunt. Anno praecedente Minister Lindenau in Saxonia proposuit, ut condemnatio coram vulgo proferretur, sed exsecutio intra muros perficeretur; quod propositum tamen, et quidem recte, rejectum est. Vir Cl. Franz Luber in Columbia, de his agit, praesertim quod ad Americam septentrionalem attinet, et concludit: poenam non coram publico infligendam esse, sed in praesentia nonnullorum in hunc finem selectorum, cui rei confirmandae Prussiam in exemplum proponit, ubi ad evitanda incommoda cum publica exsecutione conjuncta, Bero-

lino Potsdammum, mox autem Spandauw, exsecutiones translatae sunt. — Attamen minime hanc ob causam mutabant locum exsecutionum, potius ideo fecerunt, ut evitarent magnas congregationes plebis infimae semper periculosas, quam ob rem etiam Parisiis exsecutiones ad portam St. Jacques relegabantur.

Argumentum multorum contra exsecutiones publicas illud est, quod mores rudiores et crudeliores reddunt, quod minorem impressionem producere valent, quoniam spectatores frequentia assuescunt spectaculo quod gratum fit, et risum et ludibrium producit. Dubito tamen num experientia hanc opinionem confirmet. Certe hic et illic apud exsecutiones publicas, nonnulli incultiores et rudiores inveniuntur, qui non ut opportebat deterriti, ignominiosam animi indolem ostenderent risu et ludribrio incongruo; nonnullorum tamen cynismus minime interpres habendus est, sensationis et effectus in vulgus producti.

Et nunc ponamus effectum exsecutionis publicae in spectatores, non esse salutarem repressionem vel deterritionem qualem legislator sibi proponebat, num tunc exsecutiones coram populo factae culpandae erunt in omni casu? Minime vero; saepius tum culpa quaerenda est in legislatore, qui aut in poena eligenda, aut in modo exsecutionis et in formis externis praescriptis errabat.

Praeterea exsecutiones intra muros impressionem infaustam in vulgus producunt. Tum statim in memoriam revocantur judicia occulta quae Veemgeregten dicebantur, Inquisitio, cet.

medii aevi, quum potestas arbitraria crudeliter saeviebat. Publicitas semper maximum requisitum omnium actionum juridicarum, et aequitatis tutamen indiciumque consideranda est. Hoc loco convenit quod FEUERBACH de jurisdictione publica annotat: Cf. *Betrachtungen uber die Oeffentlichkeit und Mundlichkeit der Gerechtigkeitspflege von* A. VON FEUERBACH, *Giessen 1821 p. 87.*
„ Wie nach der Vorstellung der meisten Völ-
„ ken, das Licht als Quelle, Element oder Sym-
„ bol des Guten, hingegen die Finsterniss als
„ Ursprung, Merkstätte oder Sinnbild alles Bö-
„ sen betrachtet wird; so ist auch die Vorstel-
„ lunsgart, nach welcher das Wahre und Rechte
„ immer in engverwandter Verbindung mit der
„ Offenheit, Unwahrheit, Unrecht und Laster als
„ Leichtscheue Nachtgeister in eben so inniger
„ Verbinding mit der Verborgenheit gedacht
„ werden, tief in der Natur des menschlichen
„ Gemuths und der Dinge selbst begrundet. Die
„ Vollkommenheit bedarf keiner Verhüllenden
„ Schleiers, welcher ihre Vorzüge nur verstecken,
„ folglich nicht sie schmücken sondern nur ent-
„ stellen würde."

V. POENA DEBET MALEFICUM QUANTUM FIERI POTEST, INNOCUUM ET MELIOREM REDDERE (1).

---

(1) Vocabulis » *Innocuum reddere*, non ea significatione utimur qua utebantur veteres, apud quos v. c. Germanos, exempla invenimus abscissionis digitorum ut poenae parjurii, quibus elevatis juraverunt, aut sicut in Capit. Caroling. videmus perjuros convictos manum perdere, sae-

In puniendo non solum malefici, sed etiam societatis ratio habenda est; i. e. delinquentem quantum fieri potest innocuum reddere. Id obtinetur rationibus physicis, v. c. reclusione, aut psychicis modo indirecto, sc. educatione vel emendatione morali. — In *theoria ameliorationis moralis* haec ratio nimis eminet; quamquam poena hoc quoque attendere debet, numquam tamen scopus principalis esse debet. Hi conatus ameliorationis moralis maleficorum, in praxi modo naturaeque humanae apto adhibendi sunt, et evitanda somnia theoretica philanthroporum recentiorum.

Nonnulli quidem exstare possunt malefici, qui rationaliter tractati durante poena, in societatem ita redeunt ut eos poeniteat vitae praecedentis, et cum laudabili consilio vitae melius agendae in futurum. Tamen homo ad talem depravationem se dejicere potest ut omnis sensus moralis extinguatur, et omnes actiones sese in egoïsmum illimitatum concentrent, in quem conatus ameliorationis nihil efficerent, nisi ut hypocrita fiat; sese emendare, videatur, ut commodum materiale hoc modo facilius assequatur. Tamen multae exceptiones inveniuntur et longe abest ut Rossio hocce respectu assentirer; *Cf.* Rossi *traité de droit pénal p. 293.*

---

pe simpliciter, aliquando cum facultate eam redimendi. Cf. Baluzius tom. I p. 197. 425—31.

La condamnation plonge les uns dans l'abbattement dans une apathie morale invincible, les autres, elle les aigrit, les irrite.

„ Refuse-t-on aux condamnés tout espoir de „ diminution ou d'adoucissement de la peine, „ ils repoussent avec dédain toute tentative de „ réforme, surtout s'ils sont condamnés pour „ un grand nombre d'années. Leur offre-t-on „ la perspective de voir leur peine abrégée, on „ en fait des hypocrites; on leur donne un vice „ de plus."

Haec argumenta quamquam saepe vera sunt, non id tamen tamquam principium generale admittere possumus.

Haec erunt nisi fallor requisita poenae aptae et rationalis, videamus nunc breviter quaenam sint requisita, ut malae actiones tamquam crimina malefico sint imputanda et puńienda.

Sunt autem sequentia:

1. Delinquens sensu morali et physico, plena libertate agendi debet gaudere.

2. Debet conscius esse actionem suam poenae obnoxiam esse.

3. Actio illicita, a delinquente ipso aut instigatione ejus, pro parte aut tota debuit perfici.

6. Delinquens sensu morali et physico, plena libertate agendi debet gaudere,

Credo, neminem dubia allaturum esse, libertatem physicam requisitum principale esse.

Quod ad libertatem moralem attinet, tres casus seu causae actionis enumerandi sunt, qui minime negligendi sunt in applicanda poena.

a. Aut ratio et intelligentia desinere potest voluntatem hominis dirigere.

b. Aut animi motus possunt dominare supra facultatem voluntatis dirigendae.

c. Aut utrimque conjunctim invenimus tamquam causam moventem, quando facultates mentales delinquentis minus excultae sunt, aut vis moralis debilior est; quorum utrumque originem habere potest in corpore et animo.

In casu *a* certe homo delinquens, naturaliter mente captus, numquam puniendus erit.

In casu *b* plerumque delinquens culpandus et puniendus erit, quamquam saepius exceptiones oriuntur. Id quoque legislator noster intellexit, Cf. art. 321—24, 325. Cod. poen., etiamque hoc principium ad nonnullas actiones applicuit, Cf. art. 1362. Cod. Civ.

Vir Cl. Mende, *Cf.* Henke's *Zeitschrift f. d. s. a. k. Jahrg. 1 Heft 2 s. 267* minus recte opinatur, quod si omnis actio usque ad primitivam originem causae moventis investigaretur, tum non solum necessitas actionis pateret, sed etiam delinquens probaretur necessitate fatali coactus fuisse, ad eam perficiendam. E conspectu philosophico haec hypothesis admitti possit, praesertim quando crimen originem habet in libidinibus vehementioribus, sed hoc in casu homo socialis qui neglexit his libidinibus voluntate et virtute morali dominari, jam poenae obnoxius est. Si ratio iis resistere non potuerit, educatio et sui imperium eas firmiores reddere debuerunt. E conspectu theoretico

commiseratione dignus, in praxi tamen puniendus est. Si praedestinatio ei crimina imponebat, simul etiam poenas imposuit.

In casu *c* plerumque et recte quidem excusationes sic dictae, *circonstances attenuantes*, adhibendae sunt. Homines inveniuntur quorum facultates intellectuales natura tam debiles sunt, ut aequitas non sinat, omnibus in casibus plenam culpam actionis iis imputare ut reliquis; ab altera parte humana ratione non ita destituti sunt, ut eas cum brutis possimus aequare, quorum in casu *a* mentionem fecimus.

Homo est animal partim sensuale partim morale, et apud illos de quibus nunc agimus, prius sine culpa eorum eminet. Per se libidines sensuales dominantur, quoniam homo moralis hoc in casu minus facile excoli potest, nec imperium sui requisitum acquirere, ut vi et firmitate morali, quae educatione aucta est, consequentias noxias, in societate autem criminales, libidinibus naturalibus productas, evitare posset.

Reliqua argumenta minoribus difficultatibus ansam praebent; sc. *quod conscius debet esse actionem suam poenae obnoxiam esse*, et *actio illicita, a delinquente ipso, aut instigatione ejus pro parte aut tota debet perfecta esse;* cet.

In priori casu observandum est, plenam et severam applicationem poenae saepius exceptiones postulare, nam stricta applicatio poenae hoc in casu, nonnumquam minus aequitati consentanea est. In omnibus hominibus invenimus

rudimenta justitiae et aequitatis, sed non postulare possumus ut omnes leges institutionesque penitus noscant.

Alii, praesertim FEUERBACHIANI ad sequentia attendunt in dijudicanda libertate agendi:

1. Ad perspicacitatem delinquentis. 2. Ad majorem aut minorem vim resolutionis productam influentiâ circumstantiarum. 3. Diuturnitatem et stabilitatem resolutionis. 4. Ad rationem exsecutionis.

DE POENIS, PRAESERTIM DE POENA MORTIS ET CORPORALIBUS IN UNIVERSO.

Universe duos modos admittere possumus quibus homines puniuntur.

1. Poenae in personam ipsam, sive poenae corporales et morales.

2. Poenae in possessiones, sive mulctae.

Fuerunt qui diversas ob rationes, omnes poenas corporales rejicerent, et omnes poenas in possessiones delinquentis, i. e. mulctis volebant constare; quum autem pauperes saepius nullomodo mulctas inflictas solvere possunt, propositum est ab iis, ut pauperes cogerentur opera pecunium solvendum lucrari.

Praeter vitiositatem alio respectu, (quoniam haec poena numquam requisitis rationalibus satisfacit Cf. supra p. 16,) sequentia nisi fallor, hoc principium condemnabunt. Si *mulctae certae* statuuntur, propter differentiam rei domesticae poena profecto injusta foret, nam aliis mulcta erit gravissima, alii eadem poena minime aut prorsus non laedentur. Si ut huic succurratur mulctae in proportione divitiarum augentur, hae in vita practica saepius difficultati-

bus laborabunt, et minime aequitati respondebunt, difficultate aestimandi. Praeterea tali extensione *systematis mulctativi*, non solum delinquens ipse, sed etiam familia ejus et propinqui laedentur, quod supra vidimus in poenas evitandum esse.

Mulcta autem est species confiscationis quando ea ratione universe extenditur. Et e nostro quidem codice poenali, haec poena recte rejecta est; nam talis confiscatio si ubique admittitur, necesse est ut aerario publico prosit, et sic crimina quasi patrimonium civitati constituunt. Haec poena profecto immoralis et naturae humanae non apta consideranda est, quoniam societas non vulgo habebitur aequus et impartialis judex criminum, quum commoda directa materialia condemnatione delinquentis augentur.

Administratio fiscalis condemnatur, quando censu nimio divitias acquirit ex sudore populi, quid, quando opes suas auget et floret delictis criminibusque? Tantummodo haec poena admittenda est in contraventionibus levioribus, (politiestraffen) et compensationibus. In criminibus gravibus ubi majori extensione gauderet, semper immoralis et condemnanda erit.

Haec animadvertens, concludo: poenas in possessiones delinquentis sive mulctas universe finibus angustis circumscribendas esse, et plerumque minime scopo respondere.

His sublatis, remanent poenae directae in ipsum individuum quae sunt: aut 1 *Physicae sive*

poenae corporales, aut 2 *Psychicae sive poenae morales.* De his deinde.

Videamus nunc de *poenis physicis corporalibus* universe.

Applicatio et modus exsecutionis harum poenarum ansam dederunt maximis controversiis, et produxerunt, mirandum in modum, argumenta plane inter se pugnantia. Cum inter has poena mortis certo praecipuum locum obtinet, ab hac initium faciamus, praesertim quoniam animadversiones de hac poena saepius aliis poenis corporalibus aeque conveniunt.

Poena mortis ab aliis (argumentis plus aut minus validis), maxime justa et rationalis habetur; aliis hanc poenam quippe inhumanissimam et valde injustam condemnantibus; de quorum fide bona aut experientia nullomodo dubitare possumus. Eodem modo quo nunc reclusionis diversa systemata, et ameliorationem moralem, tamquam equum titubatorem, (hobbelpaard), philantroporum theoreticorum considerare possumus, sic antea de poena mortis disputatum est.

Tantummodo hoc loco argumenta praecipua eorum qui poenae mortis adversati sunt, afferam et breviter quantum vires permittunt explicabo; argumenta principalia tantummodo attingam, quoniam multae impugnationes hujus poenae nihil aliud sistebant, quam orationes perhumaniores et religiosas quae invocabant ineptum hominum amorem, aut sententias philantropicas magis sophisticas natas ex privata opinione. Se-

paratim, ut facilius et dilucidius rem agamus, argumenta principalia tractabimus.

Adversarii condemnant poenam mortis ut injustam, et societati non tribuunt jus vitae et necis.

Hoc argumentum defendunt considerando hominem in abstracto et dicunt: Nemo jus ullum habere potest in existentiam aliorum hominum, homo autem accipit e jure existendi jus hujus existentiae defendendae, et necessitate tantum coactum vitam suam defendendi, ponere possumus eum jus habere, in existentiam aliorum.

Hoc profecto fundamentum accipiendum est, sed iam consequentias malas ex eo deducunt quaerentes: Quomodo societates et jura earum nascantur? Haec (ut volunt), nascuntur e pacto aut etiam contractu, quod homines tacite inter se constituerunt, et in quo omnes ut commodum publicum promoveretur, partem libertatis individualis cesserunt, ex quibus partibus voluntas generalis (lex) nata est; de vita autem minime in hoc contractu statuere potuerant, (nam omnes, praeter philosophos nonnullos, hoc jus homines habere negant), et nemo cedere potest jura, quae non possidet. Hoc est argumentum principale Beccariae (1).

---

(1) Filangieri recte animadvertit, quum haec admittere volemus, tum non magis jus societati concedi posse poenae seclusionis, aut operae perpetuae adhibendae, quoniam nemo de libertate personali statuere potest hoc respectu. — Benjamin Constant ulterius adhuc procedit, in commenta-

Quando jura societatis nata esse volemus ex conjunctione jurium partiariorum hominum qui societatem constituunt, tum certe difficilius erit hanc sententiam oppugnare.

Res autem e contextu trahuntur contemplatione jurium hominis in abstracto. Societas, sive conjunctio, cohabitatio individuorum, est status naturalis hominis in quem cogitur diversis necessitatibus, numquam autem pactum aut contractus (1). Nullomodo juridice rationaliter ideam pacti aut contractus, aut naturaliter aut civiliter accipere possumus.

Quum nequaquam nobis placeat societatem ortam esse ex pacto individuorum, nec jura ab individuis accipere potest, quod eo magis intelligamus, si cogitamus de obligationibus et juribus

---

tione operis Filàngieri hisce verbis.

» Disputer à la société le droit d'infliger la peine de » mort, et prétendre qu'elle excèderait par là sa jurisdic- » tion, serait établir un principe qui nous conduirait plus » loin qu'on ne semble le prévoir; le chagrin, la déten- » tion, le travail forcé, la deportation, l'exil même, toutes » les souffrances morales où physiques abrègent la vie, et » si l'étât n'a aucun droit sur celle de ses membres, il » n'est pas plus autorisé a l'abréger qu'a y mettre un » terme."

(1) Montesquieu. *Lettres persannes* 94.

» Je n'ai jamais ouï parler du droit public, qu'on n'ait » commencé par chercher soigneusement qu'elle est l'origine » des sociétés, ce qui me parait ridicule. Si les hommes » n'en formaient point, s'ils se quittaient et se fuyaient » les uns les autres, il faudrait en demander la raison, » et chercher pourquoi ils se tiennent séparés, mais ils » naissent tous liés les uns aux autres."

diversis quas societas exercere debet, et quae numquam attributum individui esse possunt.

Societas jura ex se ipsa acquirit, et numquam exsecutor collectivus jurium singulorum esse potest.

Sustinentibus vero, hominem numquam jus habere in vitam aliorum, nisi in vita sua defendenda, (quod numquam locum habere in societate potest, quoniam nullomodo existentia eius in singulis hominibus periclitari potest), respondemus: Directe certo numquam in homine singulari societas periclitari, sed impunitas et violatio saepius iterata legum, indirecte et pro parte hoc periculum afferre potest. Legislator debet omni modo existentiam et quietem societatis firmare, et omnes fines rationales, qui scopo respondent et necessarii sunt, adhibere, ad eam defendendam. Quum comperimus poenam mortis necessariam esse, neque ei plane alias poenas substitui posse, (Cf. infra), tum haec poena justa et societati licita, declaranda est.

Quod etiam Guizot, quamquam caeteroquin adversarius poenae mortis, animadvertit (1).

Lucas l. l. pag. 67, sustinet, societati licere poenam mortis adhibere in gratiam justitiae,

---

(1) Guizot. Cf. *Constitutionnel Août* 1822. » La » société a le droit et le devoir de se défendre. Elle peut » et doit faire tout ce qui est nécessaire à sa conservation. » Si donc elle ne peut vivre que par la mort d'un où de » plusieurs de ses membres, elle peut exiger qu'ils cessent » d'être, pour continuer d'être elle même.

nullomodo autem ad defendendam existentiam. Quam distinctionem non intelligo, quoniam idea defensionis per se jam continet ideam justitiae. Quaestio num societas jura sua e jure collectivo individuorum accipiat, paullo fusius mihi tractanda fuit, quoniam si hoc principium admittendum est, societas nullomodo poenam mortis jure exercere posset.

Adversarii poenae mortis eam rejiciunt ut inhumanam et crudelem.

Et nunc ingredimur aream latam extensamque adversariorum hujus poenae. Et cur dico aream extensam? Quoniam nunc frenum remittere imaginationi, et innumerabilia exempla horrenda exsecutionum proferre possunt, quibus hominibus sensibilioribus inconsultis facile persuadebunt. Judex impartialis autem et sedatus animo, qui rem magis e conspectu generali et practico considerat, minus facile decipietur.

Supra vidimus requisitum principale poenarum esse, ut semper in proportione criminum applicentur. Et ubi inveniremus poenam, (praeter reclusionem severam Pensylvanicam, quam nonnulli poenae mortis substituere voluerunt, de quibus infra), quae delinquentem in proportione criminis affligere potest, eum qui aliis summum bonum sc. vitam crudeliter abstulit, ut saepius non nisi parvum lucrum materiale sibi acquireret?

Ite, (clamant adversarii poenae mortis), ad locum exsecutionis, quando delinquens ultimum supplicium subire debet, adspice agoniam, et imaginatione in locum eius te transferas, &a &a.

Nemo non gratiam tum ei daret, nemo humanitate praeditus, hancce poenam non ut inhumanissimam rejiceret.

His argumentis assentior, nam experientia me docuit saepius sensibilitatem inconsultam subigere sanam rationem. Sed nunc quaero, num poena tamen ut inhumana consideranda est, quum in memoriam vocamus, delinquentem animo sedato et saepius crudeliter victimae innocenti eandem sortem horrendam attulisse, aut quum imaginatione nos transferamus ad locum criminis? Non solum ratio habenda est malefici sed etiam victimae, nec negligenda est cogitatio, quod praesens saepe memoriam praeteriti infirmat.

Poena mortis non a humanitate aliena, quando in proportione criminis applicatur, et idoneo modo perficitur.

Adversarii poenae mortis eam ut inefficacem rejiciunt, quoniam malefici eam non ut gravem timent.

Est plane contrarium argumenti praecedentis, quod saepius observamus in judiciis humanis. Adversarii sustinent ultimum supplicium multis hominibus minime poenam esse, quoniam mortem considerant liberationem e miseriis variis. Quot homines (dicunt) mortem contemnunt, imo saepius laete ei occurrunt? Afferunt exemplum militum et fabricatorum rerum periculosarum, v. c. cerusii, salis ammoniaci, arsenicalium, mercurialium, pulveris pyrii, &ª qui non inviti quotidie periculum mortis subeunt. Sed his respondeo: hi homines omnes sperant

exceptionem se fore regulae generalis, tantummodo tentant quatenus fortuna eis favere velit, et incertitudo eos parum deterret; si iis mortem certissimam et proximam significas, neque opifices neque milites universe invenirentur. — Neque suicidae aut martyres, quos etiam afferunt, illud argumentum firmare possunt, quippe qui saepius fuerint aut mente capti, aut fanaticis inspirationibus in statum praeternaturalem quum venissent, eo adducti sunt, ut mortem contemnerent. Quaerunt autem: Num mors naturalis poena erit, in qua plerumque nullam agoniam videmus? Profecto non. — Sed universe conscientia quieta moriuntur qui vitam naturali modo relinquunt, plerumque et hominem physicum et psychicum debilitatum invenimus, quod in condemnatis ultimo supplicio non locum habet. Nunc praeterea alii in rem suam exempla malificorum afferunt, qui maxima cum indifferentia ultimum supplicum subierint (1). Verba Cartouche et similia afferunt, „ La „ mort n'est qu'un mauvais quart-d'heure." Sed omnia haec nequaquam probant ultimum supplicium iis poenam non gravem fuisse. Verum est, plerumque maleficos famosos majori ener-

(1) E. Livingston. Rapport sur le projet d'un Cod. Pen. pour la Louisiane 1825. p. 79. — Journal de Rouen, et debats. 22 Août 1824. Courrier Français 13 Novemb. 1826. Journ. de Morale Chrétienne. N° 28. Journ. des Debats 5 Juin 1825. Gazette des Tribun. 21 et 26 Fevrier, 17 Mars, 8-22 17-20 Avril, 17. 23 Mai, 28 Août, 6 Septemb., 4 Novemb., 20 Decembre 1826.

gia reliquis hominibus gaudere, et hanc ob rem melius sensationes internas celare potuisse, ut mortem minus timere viderentur. Sed amor vitae homini natura proprius est, et universe mortem semper quisque timebit; ubi exeptiones notantur in maleficis, cynismo et vanitate adductis, haec indifferentia magis ficta erat, quam vanitatem maxime in criminibus et poenis infamibus invenimus, volunt cum aliqua specie honoris in infamia, ultimum supplicium subire. Numerum majorem exemplorum possum adferre maleficorum qui valde mortem timebant, et statuo plerumque hoc obtinere (1).

Alii rursus argumenta confirmare conantur historia, ex qua appareret ultimum supplicium tam parvam vim habere in maleficis deterrendis, ut in multis civitatibus *mulctis* caedem hominis punirent, quoniam ultimum supplicum non poenam satis gravem aestimabant. *Cf.* Tallandier, *lois penales de la France et de l'Angleterre p. 236—309.* Sed hoc argumento sibi ipsi adversantur; *mulcta*, caedis poena, erat praerogativum nobilibus in his civitatibus, sed homines plebeji (vilains et serfs), praeter tormenta, patibulo et rota puniebantur.

Et metus mortis homini natura non insitus est? Adspice aegrum, qui operationem dolo-

---

(1) Gaz. Tribun. 21 Fevrier, 9 Septemb., 26 Octob. 1826. et 21 Fevrier, 21 Mars 7-23-27 Mai, 23 Juin, 28 Août, 3 Octob. 1827. Revue Brit. Septembre 1827. cet.

rosam plerumque subire mavult, ut vitam miserabilem per breve spatium temporis producat. Si malefico, in ultimo momento ante exsecutionem poenae mortis, licet eligere inter mortem et tormenta quae vitam non tollunt, natura in hoc momento cynismum et vanitatem vincente, responsum eorum dubium non erit.

Adversarii poenae mortis eam ut inefficacem ad alios deterrendum rejiciunt.

Tentant probare hanc inefficacitatem deterritionis, quoniam quotidie adhuc caedes magno in numero committuntur, quamquam poena mortis constituta est. Sed numquam talis poena fingi poterit, qua omnia crimina evanescerent; scopo jam respondent quum ea frenant et leges tueantur.

Tusciam (Toscane) in exemplum afferunt, ut vim exiguam deterritionis hujus poenae probarent, quoniam ibi post abolitionem ultimi supplicii, numerum caedium non auctum invenimus; tamen adversarii omittunt addere, quod Leopold in eodem statuto, quo ultimum supplicium abolevit, declarat poenam mortis inutilem esse, nam caedes non essent, quae eam requirerent. Quae poena ubi raro applicatur, ibi non ut exemplum deterritionis majoris aut minoris accipi potest. Contra, adversarii Hispaniam et Corsicam quoque afferunt, praesertim hanc, ubi per 30 annos 28000 caedes commissae sunt; certe nulla in regione crimen caedis hac in proportione cum incolarum numero invenimus, et tamen ultimum supplicium apud utrumque populum in

usu videmus. Sed neque haec ineficacitatem deterritionis probare potest. In Hispania, justitia crimina heretica et politica tantummodo severiter persequitur. In Corsica, justitiam nimis laxam in executionibus poenae mortis videmus, judicibus ipsis *vendettam* timentibus. Nunc quaerunt num poena mortis unquam quemquam retinuisset, a parricidio, infanticidio aut aliis caedibus. Priores duas non ut regulam generalem accipere possumus, et quod ad caedes reliquas attinet, ita esse dico. Quam magnus est numerus hominum, qui perditione omnis sensus moralis et humanitatis eo pervenerint, ut nullomodo retineri potuerint nisi egoistico sensu sui conservandi, qui solus remansit et semper remanebit. Nemo profecto negare potest, talia monstra exstare quae a caede nequidem abhorreant, sed etiam existentiam humanam cum indifferentia destruerent, modo impune id facere possent.

Quid igitur retinet et frenat tales? Ultimum supplicium. Quomodo tamen adducuntur ut crimen illud horrendum committant? Spe impunitatis. In hac spe jam inest terror et efficacitas hujus poenae hocce respectu, certe pauci homicidae invenirentur, si poena mortis certissime instaret.

Si poenam mortis saepius inefficacem ad deterrendos maleficos invenimus, hoc magis adscribendum est, quod nimis raro et incerte criminibus caedis applicatur, et maleficus nimis tribuere potest fortunae secundae et benignitati iudicis. Non est vitium in poena condemnan-

dum, quum vitium in modo applicationis haeret.

Adversarii poenae mortis sustinent experientiam numquam necessitatem hujus poenae ostendere, et ultimo supplicio, alias poenas aeque scopo respondentes substitui posse, statuunt.

Experientia certe numquam arbiter hoc in casu admitti potest. In paucis regionibus ultimum supplicium plane abolitum fuit, quod aut recentiori tempore institutum est, aut non diu viguit.

Orationibus Beccariae in Russia, Elisabetha et Catharina II regnantibus, poena mortis abolita fuit, tamen exsilium in Siberiam mansit et tormenta crudeliora, quae ultimo supplicio aequare possumus. Postea haec poena in usum revocata est; idem videmus in marchionato Badensi. Hodierno tempore Finland, Tuscia et Louisiana rejecerunt poenam mortis, quae in plurimis civitatibus Americ. Septentrion. raro applicatur. Sed experientia nihil probare potest hoc in casu, quoniam nondum diu haec insituta viguerunt.

Huic poenae substituere nonnullis placuit, seclusionem latioribus aut arctioribus finibus circumscriptam, (sc. deportatio, opera perpetua coacta aut ad certum tempus, seclusio ad vitam aut temporalis, &ª &ª).

Equidem credo profecto carcerem durum Austriae, aut strictam applicationem regiminis Pensylvanici severioris, multis crudeliorem fore poenâ mortis; sed dubito utrum plane ultimi supplicii omnibus requisitis respondeant, prae-

sertim num deterritio eandem vim habitura sit ac poena mortis. Si ad naturam hominis rudioris incultiorisque accurate attendimus, minime huic rationi assentiri possumus. Vulgus leve et inconsideratum non perspicit gravitatem poenae seclusionis hujusmodi applicatae, quae sensus non directe tangit, nam mala et molestiam poenae hujus oculis adspicere nequeunt. Recte Mr DE MOLINES observat: „ Les travaux perpétuels „ dans les bagnes, la détention perpétuelle dans „ les maisons centrales offrent plutôt une per- „ spective d'ennui que de supplice." Magis considerant fieri posse ut libertatem recuperent evasione, aut ut poena seclusionis gratia aut alia ratione mitigetur.

Nulla poena eos homines incultiores et sensus eorum rudiores tam graviter tangere potest, quam ultimum supplicium, quod certo crimina insequitur, quod sensibus conspicitur et spem nullam relinquit.

Adversarii poenae mortis eam rejiciunt ut minime subjectam modificationi.

Haec objectio sane magni momenti est, sed non tanti ut mortis poena plane aboliretur. Feliciter tempus longe abest, quo ultimum supplicium aggravabatur tormentis inhumanis (1).

Quamquam in nonnullis regionibus adhuc fractura membrorum supra rota, in aliis alia aggravatio in parricidis et regicidis existit, nunc

(1) Corpus vivum in quatuor partes distrahere, divul-

tamen omnes, una voce, hanc crudelitatem inutilem et immoralem judicant, et numquam recentiori tempore in praxi adhibita est. Praeter inhumanitatem, alia etiam causa est cur condemnetur. Lex poenalis magis videtur speciem prae se ferre vindictae crudelis, et commiseratio cum reo puniendo, et indignatio tormentorum inflictorum quae ex hac aggravatione oriuntur, deterritionis effectus minores reddent; minime enim humanitas cedere debet scopo deterritionis. Certe seclusio hoc respectu praevalet, quia facilius modificationem poenae admittit. Haec tamen incommoda minuuntur si poena mortis, ut pote gravissima, tantummodo in criminibus gravioribus caedis adhibeatur, rarius in criminibus violationis possessionum. *Cf.* Benj. Constant, *Commentaire sur Filangieri Ch. 2 p. 11.* Poena mortis, sine aggravatione aut modificatione ut poena gravissima reservanda

---

sio corporis equis, suspensio ex mammis pudendisque, infusiones plumbi liquefacti et liquores acerrimi in os naresque, punctura forcipum ignitarum, ligatio super alta rota, rapacitati cervorum expositio &ª. Omnem humanitatem superat poena antea usitata apud Germanos, in illos lata qui arbores corticibus exuisse convincebantur.

Ex ordinatione Marcali zu Oberyssel, anno 1634. » Es soll niemand Baume in der Marck scheelen, wer » das thuet, dem soll man seinen Nabel aus seinem bauch » schneiden, und ihn mit demselben an der Baum nahten, » und demselhen Baumscheler um den Baum führen, so » lange, bis ihm seine gedärme alle aus dem Bauche und » um dem Baum gewonnen sind!! Cf. Stisserum *Hist. forest. German. append. G. p.* 46.

est, et potius modificationes poenae in aliis quaerendae sunt.

Adversarii poenae mortis eam rejiciebant, quia judices falli possunt, et abutuntur saepe hac poena.

Abutuntur profecto saepius hac poena, et horrescimus quum in memoriam revocamus tempora revolutionis et factionum diversarum politicarum ubi poena mortis maximas partes habuit. Sed quid hoc contra hanc poenam probare potest? Nonne abutimur rebus utilissimis? Certe si omnia quibus homines abutuntur rejicienda sunt quasi periculosa et condemnanda, pauca nobis restant. Hodie praesertim regiones magis excultae et humaniores non hoc respectu accusandae sunt, et numquam vitia antiquiora invocare debemus quum tempus praesens ea respuit (1).

Alii qui contendunt judices saepius errare posse, nobis objiciunt historias Calas, Dubeaux, Sirven, Monbailly, Lebrun aliorumque,

---

(1) Quin etiam Brittannia in legibus poenalibus severis, nobis exemplum praebere potest. — Londinii et in comitatu Middlesex ubi saeculo praecedenti, ab anno 1731—1740, et 1749 ad annum 1782, videmus 1624 executiones capitales locum habere, ergo circiter 38 quovis anno, per 43 annos. In hoc saeculo ab anno 1802 ad annum 1808, durantibus 7 annis tantummodo 67 executiones obtinebant, circiter 10 quovis anno. Ita numerum executionum quadrupliciter fere diminuatum observamus. In Gallia habemus:

1826	150.	condemnationes capitales.
1827	109.	
1829	89.	

Cf. Recueil des causes célèbres par Mr MEJEAN *tom. 4. p. 341.* sq. qui innocentes hanc poenam solverunt, aut afferunt alia exempla ubi diversa judicia a judicibus diversis pronuntiata sunt (1). Profecto in tali re error qui emendari non potest abhorrendus est, sed hae rarae exceptiones non satis valere possunt ad ultimi supplicii poenam rejiciendam, praesertim quum huicce opinioni, hodierno tempore, minor vis tribuenda est; omnes quibus ratio procedendi in causis criminalibus nota est, mecum facient, sufficientem securitatem exstare contra errores qui ex imbecillitate humana oriuntur, et omnes scimus condemnationes minime ab opinione privata, saepius partiali, pendere.

Adversarii poenae mortis eam rejiciunt propter influentiam noxiam quam exsecutiones capitales producunt.

1832	. . . .	74.	
1833	. . . .	42.	
1834	. . . .	25.	
1834	. . . .	54.	
1836	. . . .	30.	Cf. National 25 Dec. 1838.

Nostra in patria vel majorem differentiam habemus. Amstelodami videmus:

A° 1698—1738	. . (48 ann. temp)	. . 288 Exsecut.	. . 7	. . quovis anno.
— 1736—1745	. . (10 « «)	. . 20 «	. . 2	« « «
— 1746—1760	. . (21 « «)	. . 28 «	. . 4	singulis tribus annis.
— 1775—1788	. . (8 « «)	. . 5 «	. . 1	singulis duobus annis.

Ergo numerus exsecutionem capitalium in fine saeculi decimi septimi, quatuordecies superabat numerum exsecutionem in fine saeculi decimi octavi. — Haec proportio adhuc viget.

(1) Gaz. des trib. 20 Juill. 1826, 9 Juin, 4—14 Septemb., 20 Octob., 19 Nov., 15—29 Decemb. 1827.

Ponamus influentiam exsecutionum capitalium publicarum satis demonstratam esse, poena tamen mortis idcirco minime rejicienda est, sed exsecutiones in carcere perfici possent. Sed nego influentiam exsecutionum capitalium coram populo ita noxiam esse, et supra demonstravi, cur exsecutiones intra muros condemnandae et rejiciendae essent. Cf. p. 24. sq.

Prorsus nego, idque experientia doctus, universe exsecutionibus capitalibus humanitatem obtorpescere, et ansam dare irrisionibus et ludibriis illicitis; contra universe magis influentiam salutarem exercent. Jam supra de his disserui, et nullomodo cynismum aut barbarima nonnullorum rudiorum incultiorumque, interpretem sensationis generaliter productae admittere possumus.

Fuerunt quoque qui exsecutiones publicas capitales condemnabant, quoniam exempla exstant inde apud nonnullos homines quandam *maniam imitationis* provenisse, quae *monomania homicida* dicitur, in eam rem auctoritatem Esquirol, Marc et Volney afferentes. Sed hae exceptiones minime regulam generalem evertunt, et non omnes assimilare possumus paucis qui praedispositionem ad hancce maniam haberent, quae nunc casu fortuito se evolvebat. Tales praecautiones in vita quotidiana nos saepius in difficultates adducerent.

Adversarii poenae mortis eam rejiciunt scripturae sacrae auctoritatem afferentes.

Cur scripturam sacram invocent, non intel-

ligo, nam in ea pariter argumenta contra hanc poenam et pro ea invenimus. Cf. *Miss* WRIGHT, *Extrait d'un voyage aux Etats-Unis.* Si scriptura sacra ut fundamentum legis poenalis accipienda erat, quot poenae erunt, quae hodierno tempore minime scopo respondeant, et una voce condemnentur? Tempora diversa mores diversos producunt, et hi rursus diversas leges et poenas. Scriptura sacra quae vel talionem praescribit, Cf. pag. 10. universe nobis dux esse potest, sed non hoc in casu, praesertim quum ad discrimen morum et temporum attendimus; etiam apud multos homines et populos ejus auctoritas non valet.

Orationes tantummodo religiosae longiores nihil probant nisi debilitatem argumenti, quae debilitas disputantibus ipsis non semper tribuenda est. *Cf.* Mr DUPORT *Moniteur, Juin 1791.* CH. LUCAS *p. 130* aliosque.

Tandem adversarii poenae mortis eam rejiciunt quippe adversantem opinioni publicae.

Nolo afferre nonnullorum argumenta leviora (1). Quomodo autem haec poena per tot saecula existeret si opinio generalis ei adversatur? Nulla lex aut poena quae destituta est sanctione politica, populari, naturali aut religiosa, permanere potest. Et quomodo hanc opinionem publicam

---

(1) Universe semper opinio publica ut rationalis, impartialis, rite perpensa, et aequa admittenda erit, nam exprimit opinionem numeri majoris hominum, et omnes sane credimus numerum majorem hominum, rationalem, impartialem, aequam, et prudentem esse!!

ostendunt? BECCARIA inter alios dicit, opinionem generalem de hac poena satis patere, ex contemtu carnificis. Quis autem carnificem spernit (1)? Minime profecto homines rationales cultioresque, tantummodo homines rudiores inconsulti hoc praejudicio laborant, sed num haec est opinio publica? Nonne eodem modo

---

(1) Hoc loco gratias ago quam maximas, viris severissimis D. JANSEN et J. JANSEN carnificibus Amstelodamensi et Arnhemensi, pro illucidationibus practicis quas mihi praestiterunt. Nec instigatione BECCARIAE aut DUPORTII, nec argumentis historicis adduci possum, ut adjutori amanuensi justitiae minorem existimationem tribuerem. Nihil aliud carnifex perficit, nisi quod opus nondum perfectum judicis persolvat. Antea in Germania nullus carnifex ex officio et munus honestissimum habebatur. Multis locis, socius junior consilii municipalis, (het jongste lid der Stedelijke of Gemeenteraad), carnificis munere fungebatur. In Reuthlingen in Zwabia senator recens electus, et Stedii urbe Thuringiana, novissimus incola oppidi carnifex erat. Imo junioribus scabinis id munus a Trigraviis delegatum, teste AENEA SYLVIO *Hist. Europ. Cap.* XXIX. In Alsatia idem obtinebat, cf. *Elsass. Chronic*, *apud* SCHELTERUM *p.* 700. Etiam fratrum laïcorum Eboracensis monasterii singularis in èxsequendis poenis capitalibus peritia laudatur ab HEIDERO, *Acta Lindav. p.* 850. Apud Saxones exsecutor vocabatur *frohn-Bothe*, cujus munus honorabile fuisse, observat HEINECCIUS *Jur. Germ.* L. III. § XLIX. Alibi supplicium sumsit modo accusator modo proximus agnatus. Apud Hebraeos, propinqui occisoris sententiam judicis exsecutabant. Etiam principes inter carnifices adnumeramus; HENRICUS, dux Megapolitanus, hujus artis peritissimus celebratur. Cf. LEIBNIZ, *Rerum Brunsw. tom.* 1. Carnifex LUDOVICI XI ejus amicus intimus erat. In Versailles, anno 1840 munus carnificis 187 petebant. Nonne carnifex complementum judicis criminalis?

excoriator spernitur? Certe nubes obversabantur menti DUPORTII, quum condemnaret ultimum supplicium in concione cui nomen *assemblée constituante*, dicentis: „ Une simple formalité sé- „ pare l'assassin du bourreau!!" Simplex forma? Num eo nomine vocat fundamentum juris et aequitatis, basin quietis et ordinis in omnibus societatibus!

Potius interpretes opinionis publicae habendae snnt sententiae hominum practicorum, qui certe judices competentiores hoc in casu sunt. Diversae curiae judiciales conclusiones argumentis probatas proferebant, in quibus poenam mortis ut utilem et servandam declarabant.

Cf. observations du tribunal de cassation, présenté au Gouvernement le 3 jour complémentaire an XI, en exécution de l'arrêté du 5 ventôse an X. Les trib. crim. de la Dordogne, d'Agen, d'Orleans, et de Pau. Les trib. de Pô et Doire et le trib. d'appel de Rennes, rejiciebant hanc poenam.

Ex supra dictis conficiendum est, poenam mortis nec injustam aut illicitam, nec inhumanam aut non scopo proposito respondentem esse; et si aliquando alia videtur, hoc magis tribuendum esse applicationi injustae, inhumanae, aut minus idoneae. Ne ullam quidem poenam existere posse admitto, quae omni respectu in ultimi supplicii locum succedere possit; ergo naturae humanae non aptum videtur, eam e codice poenali rejicere (1).

---

(1) Quousque progediendum esset, quando nequaquam

Quod attinet ad reliquas poenas corporales, harum multis eadem conveniunt quae de poena mortis annotavi; quae reliqua sunt, ne in iterationem inutilem incidam, ea in singularibus disputationibus absolvenda sunt; de generalibus ad supra dicta provoco.

---

animadvertuntur admonita practica, et tantummodo oculis clausis sequimur opiniones theoreticas philantroporum, videmus v. c. ex hac exclamatione: » Les legislateurs veulent-» ils donner une leçon durable aux peuples? veulent-ils » leur assurer la plus inviolable des garanties humaines? » Qu'ils brisent les premiers le glaive de la justice, qu'ils » apprennent par leur exemple à entourer l'existence *du* » *dernier des hommes, d'un respect saint et religieux!!*" Conf. Ducpetiaux *l. l. p.* 120. Et tamen Ducpetiaux homo praeclarus.

CONSPECTUS GENERALIS CODICIS POENALIS GALLICI AD USUM NOSTRUM APTATI.

Poenae in codice universe dividuntur in:

1. Poenas Criminales.
2. Poenas Correctionales.
3. Poenas Politiae, (politiestraffen).

Praesertim haec divisio animadvertenda est, quoniam classificatio delictorum, in hoc codice a poenis dependet (1).

Subdivisio poenarum Criminalium haec est:

1. *Poenae corporales et infamantes.* *a* Poena

(1) Rossi, *Théorie de droit pénal* p. 30 forsan recte ad hunc locum annotavit: » La division des actes punissa- » bles en crimes, delits, et contraventions, division tirée » du fait matériel et arbitraire de la peine, révèle à elle » seule ce nous semble, l'esprit du code et du legislateur. » C'est a dire au public: ne vous embarrassez pas d'exa- » miner la nature intrinsèque des actions humaines, regar- » dez le pouvoir; faut-il couper la tête à un homme, » concluez-en que cet homme est un grand scélérat. Il » y a un tel mépris de l'espèce humaine, une telle pré- » tention au despotisme en tout, même en morale, qu'on » pourrait sans trop hasarder juger de l'esprit du code en- » tier, par la lecture de l'article premier."

mortis, *b* opera coacta per totam vitam, *c* deportatio, *d* opera coacta per certum tempus, *e* ergastulum.

2. *Poenae infamantes.* *a* castata (carcan), *b* exsilium, *c* degradatio.

Subdivisio poenarum correctionalium:

1. Detentio in carcere.
2. Suspensio jurium civilium.
3. Mulctae.

Subdivisio poenarum politiae.

1. Detentio in carcere.
2. Mulctae.
3. Confiscatio rerum detentarum.

Tamen decreto 11 Dec. 1813 edito, sequentes mutationes in ea institutae sunt, praeter abolitinem *confiscationis universorum bonorum, et tutelae politiae civitatis*, (staatspolitie), *sententia juridica maleficis imponendae.*

Modus exsecutionis poenae mortis hoc decreto mutationem subiit; in codice tantummodo constitutum erat: art. 12. „ Tout condamné à „ mort aura la tête tranchée." Nunc autem Cf. decretum:

1. Poena mortis perpetratur laqueo, viris patibulo, feminis strangulatione palo alligatis; poena mortis maxime infamis.
2. Poena mortis decollatione per gladium.

Opera coacta per totam vitam cum expositione et stigmate conjuncta aboletur, cui substituitur:

1. Fustigatio cum laqueo collo circumstricto, stigma et seclusio in ergastulo per tempus certum, non diutius 20 annis.

2. Rotatio gladii supra caput cum solemnitatibus omnibus decollationis, et seclusio maxime 20 annorum.

Opera coacta per certum tempus abrogatur, et substituuntur:

Seclusio in ergastulo maxime 15 annorum cum fustigatione, expositione aut defamatione.

Pro *Carcan* Gallorum, substituitur fustigatio vel expositio, vel defamatio.

Quum nunc poenas apud nos usitatas dividimus in: *Psychicas aut morales*, et *Physicas aut corporales*, in censum venient:

Poenae Psychicae; Rotatio gladii supra caput, constrictio laquei circa collum, (separatim conspicienda ut aggravatio poenae fustigationis), defamatio, degradatio, expositio, stigma, (quae minus poena corporalis est), et exsecutio in effigie, (apud nostrates tantummodo pro parte in usu, nempe expositio sententiae in catasta et in aliis locis, conf. infra).

Poenae physicae; Poena mortis, fustigatio, diversae species seclusionis, deportatio et exsilium quod potius ad seclusionem, latiori sensu pertinet.

MORTIS POENA PER SUSPENSIONEM ET STRANGULATIONEM.

Decreto 11 Dec. 1813, post finem imperii Gallorum poena mortis laqueo infliganda restituebatur, quae apud nostrates duobus modis applicatur; Conf. art. 5 decreti.

„ De straf met den strop wordt voor de „ schandelijkste gehouden, en uitgevoerd op het „ schavot aan manspersonen door het ophangen „ aan eene galg, en aan vrouwspersonen door „ het verworgen aan een' paal (1).

(1) Hoc supplicium antiquissimum quoque Romanis cognitum fuit, minus tamen generalis eius usus erat. Nonnumquam appellatione SUB FURCA, obvenit, quamquam haec plerumque CRUCEM significat. Tamen differentiam inter haec adesse confirmat ISIDORUS L. V. » Patibulum, in- » quit, vulgo furca appellatur, sed patibuli minor poena » quam crucis, nam patibulum suspensos mox examinat, » crux autem affixos diu excruciat." — Germani dudum proditores suspendisse ex arboribus sine apparatu, testis est TACITUS *et* GREGORIUS *Turonens. L.* II. *Cap.* XVI *de mirac.* In const. crimin. Carolin. sententia erat: » an » den Galgen mit dem strang oder ketten, vom leben zum » todt gericht werden."

Quae morti per suspensionem et strangulationem communia sunt, conjuncta tractabimus, sed quum necessario diversi exsecutionis modi, etiam effectum diversum producere debent, deinde de his differentiis quaedam annotabimus separatim.

Antequam meam opinionem declarabo de modo quo mors suspensione producitur, et de consequentiis inde deducendis, opiniones diversorum scriptorum exponam et breviter perscrutabor. Quamquam valde differre videbantur si leviter sententias eorum inspiciamus, tamen magis invicem accedunt, quam a priori crederes.

Sic FLEISCHMAN, WILDBERG[1], EGGERT, DESLANDES, aut mortem per asphyxiam aut per apoplexiam admittunt, prout laqueus supra aut infra laryngem ponitur.

ALBERTI, PETIT, LOUIS, DUVERNOY, causam mortis luxationem vertebrarum colli, et laesionem medullae oblongatae habent.

ROMEYN, BECK, causam mortis habent paralysin nervorum respirationis, et circulationem impeditam, constrictione laquei productam.

G. SCHULZE declarat, medullam oblongatam congestionem apoplecticam pati, et hanc ob rem functiones impediri.

Orfila causam habet transmutationem impeditam sanguinis venosi in arteriosam, et WEDING quoque huic opinioni addictus, asphyxiam primariam, et paralysin cerebralem secundariam causam mortis admittit.

STOLTE et VAN DEN OEVER qui nostra in pa-

tria praesertim hanc speciem mortis perscrutati sunt, semper et absolute mortem asphyxia produci volunt.

Omnes diversae opiniones facile in haec quatuor genera referendae sunt, et tum causam mortis per suspensionem aut strangulationem habebimus:

1. Mortem apoplexia productam.
2. „ asphyxia productam. (Impeditio mechanica respirationis).
3. „ luxatione vertebrarum colli, et laesione medullae.
4. „ compressione vasorum nervorumque.

Separatim has opiniones perscrutemur.

I. Mors apoplexia producta.

Quum dico *apoplexiam*, significo semper apoplexiam veram sanguineam, et minime apoplexiam nervosam, apoplexiam serosam, apoplexiam ex inanitione vasorum, aut apoplexiam nervosam ex paralysi cerebri; quae diversae species a multis medicis distinguuntur, sed quas mea imbecillitas numquam comprehendere neque admittere potuit.

Scriptores principales qui mortem ex apoplexia deducunt in annotatione enumero (1): ar-

---

(1) Avicenna lib. 3. tract. 5 de Apoplex. Venetiis 1582, A Benedictus de Apopl. Venet. 1500, Savonarola de Apopl. tract. Cap. 1. 1560, Nymman in Comm. de Apopl. Wittenberg 1629, Boerhavius prael. acad. in prop. inst. rei med. nec non in prael. de morb. nerv. a doct. van Eems edit. p. 33, Baco de Verulanio, Historia vitae et

gumenta vero quibus hanc suam opinionem firmant, sunt sequentia:

A. Symptomata externa quae suspensi ostendunt, et quae saepe cum signis in morte apoplectica observatis, conveniunt. De his praesertim legi merentur, H. Klenke deinde citandus, et van den Oever et Stolte, nam descriptio accurata nos nimis moraretur.

B. Etiam obductiones hanc opinionem firmarent, ubi plerumque accumulatio sanguinis invenitur (1).

C. Ex diversis experimentis et descriptionibus sensationum eorum, qui post suspensionem in vitam regressi sunt, patet mortem potius congestione produci, et apoplecticam esse (2).

---

mortis. Wepferus, Exercitat. de loco aff. in apopl., Caesalpinus quaest. med. p. 15, Bruhierius diss. sur l'incertitude des signes de la mort, van Swieten tom. III. p. 273, Roederer opusc. med. p. 290, Haller elem. Phys. tom. III p. 270, tom. VIII p. 160, tom. V p. 630; Petit, journal de medicine tom. XXVII; P. A. O. Mahon medic. legal. tom. III, C. Kite an essay of the recovery of the apparently dead. London 1788.

(1) Cf. Resp. med. und Sectionsberichte von D. Conrad Fabricius, Halle 1772; Bartholomaeus Hist. Anot. Rarior. cent. I. hist. 32. 53. et cent. IV. hist. 6; Littré, Hist. de l'Acad. Royale des Sciences 1704; Lancisius, de morte sub. observ. IV. N. 8, Nannius Bononiae cf. Morgagnus de sed. et caus. morb. 38 art.

(2) Sic ut Boerhavius narrat. l. l. Quod facies simul ac laqueus constringitur uno momento purpurea coerulea fit, et mox summa lux fulguris instar, dein tenebrae suspensis apparent. Et Baco l. l. Nullo dolore passus, sed flammas ante oculos videbat in tenebras mutantes, de-

D. Jam a priori mortem apoplexia produci admittendum est, ex compressione valida venarum jugularium, quae magis in superficie positae, validiori constrictioni obnoxiae sunt quam carotides, quae nonnullis in casibus adhuc sanguinem adferre possunt. (Venas et arterias vertebrales omitto, quoniam in eadem fortuna versantur.) Certe positio et structura laquei hoc in casu magnam influentiam habebunt. Quum nunc in memoriam revocamus, quam minima quantitate sanguinis apoplexia produci possit, hoc argumentum non plane ut improbabile rejicere possumus.

E. Suspensi post constrictionem laquei statim immobiles manent, (quod nego, cf. infra), quum in asphyxiae agonia, magis motus convulsivos observamus. (Cf. NYMMAN l. l.).

F. Aspera arteria, secundum eos minus facile comprimeretur, sed id, mea opinione, minime ut verum admittendum, et obiter hoc loco animadverto sequentia; certe positio et structura laquei etiam hoc in casu influentiam exercent, si v. c. supra aut infra laryngem applicatur; Sed experientia docuit, quod imo ossificata aspera arteria fracta inveniebatur, et plerumque

---

nique in colorem coeruleum ut in deliquio. Multi cum his conveniunt, et confirmant statim symptomata apoplexiae oriri, deinde stuporem, somnolentiam, et omnis sensus abolitionem. Tamen tenendum, etiam praeter in apoplexia, in aliis lipothymiis similia symptomata prodromica, observari.

diversis modis laesa. Saepius autem elasticitate post relaxationem laquei, in statum pristinum redit.

Ut brevius rem tractem, nonnullas objectiones contra mortem apoplecticam in suspensione, cum morte asphyctica conjunctim tractabo.

II. Mors asphyxia producta, sive mechanica impeditione respirationis.

Quando assentimur praecipuis fautoribus hujus opinionis (1) tum iis qui mortem ex apoplexia oriri statuunt, objicere possumus, nonnumquam symptomata mortis per suspensionem, quoque proferri, ubi minime eam ut causam primariam admittere possumus. In angina suffocativa omnia symptomata congestionis cerebralis observamus, oculos prominentes injectos, linguam tumidam et lividam extra dentes et labia pendentem, spumam ex ore defluentem cet.. et tamen ibi congestio magis *secundaria* est. Colorem

---

(1) Marcellus Donatus Hist. Medic. Mirab. lib. VI Cap. 9; Em. Thruston de respirationis usu, London 1760, Cardanus lib. 3. tract. 2. contr. 7, Garmannus de mirac. mort. lib. 3. tit. 4. § 50. p. 1235. Zacchias, quaest. med. leg. lib. 9. p. 697, Reinisius Schol. Jure-Cons. Med. lib. IV sect. 4. p. 585, Morgagnus loc. cit. art. 38, de Haen Ratio Medendi tom. XV. Vinnae 1776, Cl. van Geuns diss. de morte § 15. p. 16. J. B. Hueber diss. de caus. improv. Vindobon. 1782, F. Daniels, Sammlung Medicinischer Gutachten und Zeugnisse. Lipsiae 1766, J. Bernt Beytrage zur gerichtlichen Arzneykunde für aertze, Wundärzte und Rechtsgelehrte. Wien 1823. Bichat Recherches phys. sur la vie et la mort; Richerand élements de phys.

violaceum purpureum suspensorum aeque apud eos observamus qui asphyxia fumo carbonico perierunt. *Cf.* A. Paré *opera omnia p. 651.* Symptomata externa nisi aliis confirmantur, saepius minoris momenti sunt; an vero aliquis sustineret nullo modo fieri posse ut homines coloris pallidi, apoplexia mortui sint?

Obductiones non magis probare possunt, apoplexiae symptomata semper eminere.

Accumulationem sanguinis et seri in cerebro aeque invenimus apud asphycticos et submersos, aut apud eos qui quoquo modo respiratione mechanica impedita, mortui sunt; *Cf.* Wepferus *l. l. p. 185—9*, Weber, *obs. medic. fasc. alter p. 2*, Camerarius, *Syll. memor. medic.* &c[a] *Centur. VII pars 4*, non semper autem apud suspensos invenitur; *Cf.* Fleischman, Henke's *Zeitschr. 3 band. s. 311 Casus 1—6*, V. Cl. de Riemer *sectiones l. l.*, de Haen *ratio medendi tom. XV. Viennae 1776*, in casus V anaemia totalis sinus longitudinalis, Stolte *l. c. p. 19 sectio 1[a]*; haec fautores mortis asphyctici iis qui mortem apoplecticam ut causam admittunt, objicere possunt.

Sensationes eorum, qui post suspensionem in vitam regressi sunt, qui visiones lucis splendentis, et tenebrarum &c[a], omniaque symptomata congestionis cerebralis et apoplexiae habuerunt, nihil probant, quum in conditione contraria, anaemia totalis, eadem symptomata se prodere possunt. Etiam soporem, somnolentiam, post sanguinis jacturam gravem, visiones lucis et tenebrarum apoplecticis tributas, sae-

pius illi experti sunt, qui venaesectione in animi deliquium incidunt. Quod ad interruptionem subitam conscientiae sui attinet; haec tam saepe apud asphycticos submersosque quam apud apoplecticos invenitur.

Qui contendunt mortem asphyxia produci, negant compressionem venarum jugularium et in nonnullis casibus carotidum arteriarum apoplexiam oriri. Stolte id experimentis tentat confirmare, praesertim in exper. 3. 4. et 5.

„ Canes ligatis venis jugularibus externis et „ internis, nec non arteriis carotidibus, nec so- „ pore nec apoplexia tentari, sed supervivere „ multas horas." Etiam Haller *Elem. phys. tom. 4 p. 308 Cap. V.* „ In cane numquam vidi „ interceptis arteriis venis aut utrisque vasis, „ (sc. arter. carot. et ven. jugul.), soporem aut „ apoplexiam nasci, neque adeo facile credam „ ab incisoribus eventus visos esse." Caeterum Cf. Willis, *cereb. anat. cap. VII*, van Swieten *tom. III p. 259*, Ridley, *anat. cereb. cap. IV p. 37*, Haller, *op. cit. tom. IV p. 125*, Albinus *acad. ann. lib. II cap. X p. 39*. Hueurman *phys. tom. III p. 145*.

Minime autem mortem potius apoplecticam esse inde probari potest, quod suspensi statim immobiles fiunt; saepius quoque asphyctici immobiles et sine ullo motu convulsivo, sortem subirent. Praeterea suspensos minime semper immobiles esse post suspensionem, ipse observavi, quod carnifices quos interrogavi confirmaverunt. Omnes cuniculi quos in experimenta

suspendi, statim per 1—1½ scrupulum horae (minuut), immobiles pendebant, deinde motubus violentis totius corporis usque ad mortem quatiebantur.

Qui mortem asphyxia produci sustinent, contendunt asperam arteriam hermetico modo clausam esse, praeterea huc trahunt occlusionem spasticam glottidis, quae magis a positione laquei pendet, de quibus deinde agemus. STOLTE praesertim id experimentis tentat probare; Cf. J. H. STOLTE, *diss. inauguralis de morte suspens. Gron. 1766*, et concludit: „ Mors dependet „ tantum a respiratione impedita."

III. MORS LUXATIONE VERTEBRARUM PRODUCTA.

Quamquam opiniones in hac causa maxime differunt, tamen credo neminem esse qui hanc causam solam et separatim ab aliis admittere velit, praesertim quando ad ea attendimus, quae annotavimus ad locum de causa asphyxiae et apoplexiae. Cum luxatione conjunctas has causas autem semper invenimus in morte per suspensionem, et minime ergo hanc causam separatim in abstracto considerare debemus. Fautores autem hujus opinionis invocant laesionem medullae oblongatae, quae se proferre debet ubi luxatio vertebrarum invenitur.

Medulla oblongata ut fons motuum respirationis, (Legallois), et etiam hujus speciei motus involuntarii, motus reflectionis dicti, (Flourens), et sensus perceptionis (Empfidungsvermogen) sui generis, (quem autem non aequiparare possumus sensui perceptionis cerebralis, scil. in-

telligentiae ,) (Magendie et Desmoulins) , medulla oblongata igitur omnes has facultates ut organum centrale in se concentrat. Praesertim afferunt respirationem et motum respirationis impeditum, qui laesione medullae producun'ur.

Secundum eos, luxatio plerumque locum habet inter 1 et 2 vertebram cervicalem; Cf. PETIT, *traité des maladies des os. Chap. 11 p. 67*, aut ut alii volunt inter 3 et 4 vertebram; *Cf.* VERNEY, *traité des maladies des os. tom. II p. 133*; denique alii laesionem medullae observaverunt effectam esse, ruptura ligamenti et pressione processus odontoïdei. *Cf.* MAUCHARD, *de Capitis articulatione cum prima et secunda colli vertebra. Tub. 1747*, et B. D. MAUCHARD *De luxatione nuchae. Tub. 1747.*

Sed nunc quaestio principalis haec est: num semper luxationem observamus apud eos qui suspensionis mortem obierunt? Morgagnus id modo certissimo adfirmat, dicens: „ Causam „ mortis suspensorum quaerendam esse non in „ iis quae interdum, sed quae semper aut fere „ semper et cito interimant, uti est suprema- „ vertebrarum luxatio."

Etiam Cl. LOUIS narrat antea Parisiis collum suspensorum fere semper luxatum fuisse, quoniam carnifices tractiones contrarias rotatorias instituebant, et trunco cifissimos motus semicirculares impertitur, unde luxatio vulgo oritur.

PARÉ quoque semper luxationem observabat, et cum multis aliis hoc in casu convenit.

Etiam *Cl. Fortunatus Fidelis de relation. Medic. lib. 4.*

Alii autem negant luxationem semper locum habere, imo contendunt prorsus numquam accidere, aut certe exceptionem esse. Sustinent modum suspensionis et pondus corporis, magnam vim habere, etiam an subito dejiciuntur nec ne, et tractionem pedum aut statuminationem in humeros suspensi, cet. *Cf.* ALBERTI, *System. Jurispr. Medic. Hallae 1793*, RICHERAND, *Nouv. élements de phys. tom. 1. p. 457 Ed. VIII.*

Alii vero contendunt, his tractionibus aut motionibus fortioribus fracturam quidem ligamenti processus odontoïdei aut vertebrarum ipsarum produci, sed prorsus numquam luxationem, quod argumentis, mea opinione, satis validis probant.

Sic Doctissimo PALFYN, luxationis exempla rarissime occurrerunt in suspensorum cadaveribus, quae a NEWGATE in Nosocomium BARTHOLOMAEI translata, dissecuit. Et tamen carnifices luxationem torquendo efficere tentaverant. (wristed motion). Vir. Cl. DE RIEMER in 102 obductionibus cadaverum suspensorum, ne unum quidem exemplum luxationis adfert. Orfila, qui nuper disquisitiones de luxatione instituit, eam rarissime et exceptionis loco admittit. Cf. SCHMIDTS *Jahrb. 1845, 1 heft. p. 85.*

Unde haec opinionum diversitas? Rationem nos docuit anatomicus Germanus, cujus nomen e memoria mihi elapsa est.

Vertebra prima tam arcte connexa cum occi-

pite, ut prorsus numquam luxatio hoc in loco accidere posset, sine laesione et destructione extraordinaria partium cingentium, quod omnibus notum, qui in cadavere experimenta instituerunt. Quia autem vertebra prima adeo arcte conjuncta est cum occipite, et planam magis figuram habet, *vertebra secunda prima videbatur.* Hiatus tamen insignis in statu naturali inter Atlantidem et Epistropheum, in arcu posteriori adest in latitudinem digiti, et hanc ob rem saepe in errorem ducuntur anatomici, ut laesionem invenire sibi viderentur quae nullo modo existat (1).

Haec inter alia quoque apud Matthyssen confirmatum reperimus, qui in opere suo *Medic. légale. p. 49.* eodem errore adductus, in fine

---

(1) » Non saepius hi errant qui sectiones forenses in» stituunt, cum reliquarum vertebrarum colli arctum ne» xum, non tantum in corporibus et in apophysibus ar» ticularibus et transversis, sed etiam in arcu posteriori » et processu spinoso cognoverint, eundem etiam inter » primam et secundum vertebram quaerunt, ideoque hia» tum naturalem qui ob motum lateralem capitis adeo » necessarius est, ut deductionem praeternaturalem anno» tant, et luxationem fingunt ubi nulla est." In sceleto quidem capite erecto id vix conspicitur, (exsiccatione cartilaginum et ligamentorum), indeque factum, ut eum in optimum osteographorum Vesalii, Eustachi, Albini, delineationibus non reperiamus.

C. G. Gottlieb Ludwig. *diss. de luxatione*; *Lipsiae* 1767.

Tamen in tabulis *Albini*, *os. hum. Leid.* 1753 *tab.* X *fig.* 2, hic hiatus observatur, quoque in opere Bourgery et Jacob recenter edito.

haec dicit: „ L'observation qu'on vient de lire „ nous offre le cas d'un suicide par suspension, dans lequel la lésion de la moelle épinière a déterminé la mort, mais ce n'est pas „ une luxation entre la première et la seconde „ vertèbre cervicale qui s'est présentée ici, c'est „ un écartement, un veritable diastasis, *dont* „ *aucun auteur, que je sache, n'a fait mention.*"

Haec sufficiant de hac causa. Quoniam plerumque scriptores luxationem separatim ut causam mortis in suspensione posuerunt, ad eam quoque separatim attendere debui; quamquam mea opinione luxationem numquam hoc in casu rationaliter separatim conspicere possumus, quum apoplexiae et asphyxiae requisita aeque se prodeunt.

IV. Mors a compressione nervorum et vasorum colli.

Invitus hanc quoque ut causam mortis separatim tractare coactus sum, quoniam nonnulli scriptores eam causam mortis habuerunt, sed si animadvertimus hanc compressionem, aut apoplexiam ant asphyxiam habere effectum secundarium, mirandum est, cur separatim hanc causam perscrutarentur.

Brendelius et Riolanus, *In Collect. Halleri disp. Anat. vol. II. p. 179*, et Riolanus, *de morb. cereb. cap. XII. de apopl.* hanc causam efficaciorem considerant quum de compressione nervi vagi et spinalium Willisii, nec non de constrictione carotidum arteriarum et venarum jugularium agunt; non tamen inde tantum mortem

deducunt. Experimenta aliorum docent, mortem minime subitaneam esse constrictione vasorum nervorumque productam. Van Swieten canem viventem observat, cui ante 12 dies ligaverat arterias carotides, sed ante 4 tantummodo venas jugulares; mortuo, nihil in cranio aperto reperiebat. Van Swieten, *com. cit. tom. 1 p. 266.*

Alii post ligaturam venarum jugularium, sine ulla compressione carotidum, nulla symptomata apoplexiae, nec effusionem aut accumulationem humoris in cerebro inveniebant. *Cf.* Novesii, *experim. a Morgagno prop. de sed. et caus. morb. art. 32.* Experimentis aliorum patet mortem celerius sequi post ligaturam nervorum vagorum et intercostalium, quam post ligaturam vasorum. *Cf.* Morgagnus, *epist. anat. XIII. p. 507.* Haller, *oper. min. tom. I. pars II Sect. VIII. experim 131—5. Doct.* J. A. Brunn, *diss. inaug. sistens experim. circa lig. nerv.* Haller *elem. phys. tom. 1 pag. 462—3.*

In suspensione tamen semper potius compressio vasorum quam nervorum universe admittenda est, et nequaquam ex experimentis supra memoratis argumentum satis firmum accipere auderem, in homine (temperamenta enim diversa, hoc respectu effectum diversum habebunt), nulla symptomata congestiva aut apoplectica oriri, post ligaturam venarum jugularium quum etiam carotides non constringebantur, et non intelligo, quod tamen nonnulli volunt, quomodo venae vertebrales deductionem sufficientem sanguinis efficere possunt; quum contra,

experientia docuit, saepius minimam quantitatem sanguinis sufficere, ad mortem apoplecticam producendam.

De compressione nervorum observaverunt: quando nervus vagus inter nervum pharyngeum superiorem et laryngeum, (i. e. quum laqueus fere infra maxillam inferiorem et supra os hyoïdeum applicatur), celeriter symptomata asphyctica produci, occlusione spastica glottidis. Idem quoque observabatur quum ligatura constringantur nervi laryngei superiores, juxta sed post arterias carotides. Ligatura nervi vagi, quatenus juxta truncos laryngeales applicatur, jam sufficeret, aut ipsa aut motu reflectivo asphyxiam producere. (Occlusione reflectiva glottidis?) Motus respiratorii thoracis non cessabant, quia aliis nervis reguntur, nec nervo phrenico constricto interrumpuntur; sed per se tantummodo quum nulla laesio congestione aut luxatione, functionem directam et reflectivam medullae oblongatae, organi centralis respirationis, impedit. Cf. de his experimenta relata apud H. Klencke, *uber die bedingungen und heilzwecke bei einigen arten des gewaltsam erzeigten scheintodes.. Leipzig. Edit. Kummer. 1845.*

Ut argumentum probaret, hac constrictione nervi vagi juxta ramum laryngeum inferiorem occlusionem convulsivam glottidis produci, diversa experimenta in felibus instituta affert, etiam suicidia et suspensiones cum laqueis latis laxisque, ubi magis symptomata asphyctica eminebant, sine ulla luxatione vertebrarum aut lae-

sione asperae arteriae. Laqueus laxus latusque nullomodo nos inducere potest, ut compressionem carotidum aut venarum jugularium admittamus; fortuito casu, hi nervi videbantur constricti, et hanc ob rationem occlusio convulsiva reflectoria glottidis, potius admittenda esse videtur.

Opinionibus diversorum perscrutatorum et argumentis principalibus expositis, confitendum est, me nullas earum exclusive probare, sed sequentia ut rationalia admittenda mihi videri, quod nonnulla experimenta confirmant.

1. Credo, universe ut causam mortis suspensione, apoplexiam et asphyxiam conjunctas admittendas esse, sed symptomata alterarum harum causarum eminere, pro diversis circumstantiis.

2. Neque luxationem vertebrarum colli, neque laesionem medullae oblongatae ut causam principalem mortis, universe admitti posse, quum supra vidimus eas in suspensione prorsus numquam obtinere.

3. Neque rationaliter separatim compressionem vasorum nervorumque admitti posse, quoniam in casu priori apoplexia, in posteriori asphyxia, produceretur.

Huic opinioni adductus sum quoniam mihi videntur scriptores diversi erravisse, quum admittunt tantummodo causam unicam abstractam, quae numquam separatim in praxi existere potest. Quomodo aliquis fingere posset suspensum, si non aeque requisita compressionis va-

sorum, nervorum et viarum aëriferarum admittit, non intelligo. Etiam experimenta ligaturis instituta fallacia esse debent, quoniam circulatio et respiratio tam arcte inter se conjuncta sunt, ut respectu practico separatim investigari non possint, hoc in casu. Laqueus utramque functionem impedit aut iis plane obstabit, et quatenus aut vasa, aut nervi, aut aspera arteria, magis directe eo afficiuntur, symptomata apoplectica aut asphyctica magis prodibunt, et quamquam positio et constructio laquei, modus suspensionis, et constitutio suspensi aliquam vim habebunt, universe tamen apoplexia et asphyxia ut causa conjuncta, mortis suspensione productae, admittenda sunt.

Hanc opinionem confirmare possunt eventus obductionum Viri Cl. de Riemer, qui in plerisque cadaveribus non solum accumulationem sanguinis in cerebro, sed etiam in ventriculis dextris cordis, et in vasis arteriosis venosisque his adnexis, et in pulmonibus reperit. Ex 102 suspensis quos indagavit, 9 annotavit apud quos symptomata mortis pure apoplecticae detexit, apud 6 tantum symptomata mere asphyctica inventa sunt, 19 nihil probaverunt obductione vitiosa, sed 68 reliquae opinionem meam confirmant, quum de hisce dicitur: „ Es geselle sich „ zu dem stickflusse auch sehr oft schlagfluss, „ oder gehe wohl von jenem her." Cf. Henke's *Zeitschr. f. s. a. k. 3 band. Erlangen 1822.*

Caspar et Krombholtz quum interdum hanc causam conjunctam admittunt, pro parte meae

opinioni favent, tamen distinctionem nimis angustam fecerunt, quatenus aut symptomata apoplectica aut asphyctica magis eminebant. Cf. H. KLENCKE *l. c.*

FLEISCHMAN, *Uber die verschiedenen Todesarten der Strangulirten; Erlangen p. 311.* qui experimenta in se ipso instituit, et cujus auctoritas hanc ob rem multum valet, etiam huic opinioni favet, quum causas annumerat: 1. Apoplexiam. 2. Asphyxiam. 3. Apoplexiam et asphyxiam conjunctam. Eas tamen etiam separatas admittit. MARTINI magis mecum facit, quum causam mortis suspensionis *mixtam* vocat, etiam LUDWIG, *Instit. Med. forens s. 117* § *302.* „Strangulati apoplectici et suffocati pereunt." HENCKE quoque quum conjuncta symptomata describit, inscius huic opinioni favere videtur (1).

FUCHSIUS et doctissimus HIECKE causam conjunctam admittunt, tum etiam alias causas separatim considerant. Cf. FUCHSIUS *observ. in novis actis Phys. Med. Norumbergae 1777. Doct.* C. J. HIECKE *diss. de suspens. in vitam restit. mort. subit. ejusque causa.*

---

(1) HENCKE, *Lehrbuch der Gerichtl. Medicin &c* § 426. » Die algemeine Zeichen des durch Stik und Schlagfluss erfolgten Todes, welche man an den Leichen findet, sind » folgende: Mit Blut uberfullte, dunkelblaue, strotzende » Lungen, starke ausdehung des vorderen Herzens und der » Hohladern, und Überfüllung derselben mit Blut; ferner: » die Gefasse des gehirns und seine Haüte von dunkelfarbi» gen Blute strotzend. u. s. w.

Asphyxia igitur et apoplexia conjunctae, nobis videntur universe causa esse mortis suspensione productae, quamquam symptomata alterius alternative eminent. Distinctio hanc ob causam praesertim est majoris momenti, quoniam admittere possumus, apud suspensos ubi magis symptomata apoplectica conspiciuntur, *conscientiam sui* celerius extinctam fuisse, quamquam symptomata vitalia diutius sese motubus manifestarent; quum contra apud eos, ubi symptomata asphyxiae praevalebant, motus externi citius cessabunt, sed conscientia sui per longius spatium temporis existeret. Quum bene attendimus ad discrimen inter conscientiam sui et motus vitales involuntarios, videmus etiam hoc in casu organisationem diutius compressionem cerebri, quam privationem aëris atmosphaerici pati posse, quamquam in casu priori conscientia sui celerius extinguitur.

De modo laquei applicandi Belloc satis apte annotavit, plerumque ex prominentia linguae existente aut deficiente, concludi posse quomodo laqueus applicatus fuerit. Quando laqueus supra laryngem ponitur, lingua non eminet tractione ossis hyoïdei, quando autem infra laryngem ponitur, tum lingua ex ore pendet. Alii autem volunt proeminentiam linguae indicare, mortem asphyxia productam esse. *Cf.* Schmidts *Jahrb. heft 1. p. 83. 1845.*

Fleischman qui multa elucidavit in sugillationibus apud suspensos, (quaestio tanti momenti

in medicina forensi) (1), sequentem distinctionem fecit in positione diversa laquei:

1. Quum laqueus fere horizontalis applicatur in larynge ipsa aut infra eam sed prope, et tum

---

(1) Vir. Cl. REMER in Breslau, quoque de his meritus est; in quo observare possumus qualis prudentia requiratur, ne oculis clausis conclusiones admittamus, ex relationibus medicis ortas. Vir. Cl. REMER statuit: *numquam sugillationem oriri posse, post momentum quo mors acciderit.* In SCHMIDTS Jahrb. l. l. Orfila et Caspar contrarium admittunt. Vir. Cl. REMER vult tum solum sugillationem oriri posse, quum spatium temporis quoddam inter applicationem laquei et mortem elabitur. Num ergo in sugillatione omnem laesionem mere mechanicam laquei rejicit? Nunc observavit, (et certe magnae auctoritatis est, propter magnum numerum sectionum quas instituit), plerasque sugillationes inveniri inter laryngem et maxillam inferiorem, rariores in larynge, rarissime infra laryngem. Ergo si has observationes cum eis quas FLEISCHMAN instituit inter se conferimus, observamus mortem celerrimam esse quando symptomata asphyctica eminent, minus celerem quando symptomata apoplectica, tardissimam quando symptomata apoplectica et asphyctica conjuncta inveniuntur.

Nequaquam sugillationi tale momentum tribuere possum, si attendo ad influentiam quam constitutiones diversae in eam exercere valeant; v. c. In nonnullis constitutionibus, in nonnullis morbis facilius Echymosa oriuntur, quae *aliquomodo* cum sugillatione aequiparari possunt; v. c. in febribus exanthematicis petechialibus, purpurea, morbillis, scarlatina, cet.; in constitutionibus cachecticis, cet.

Praeterea etiam laesio aliqua mere mechanica, laqueo tribuenda est. Cf. HENKE's *Zeitschr.* III *band*, B. VAN SWIETEN, *Moment. in Aphor.* BOERH. *de Cogn. et cura morb. tom.* I. *p.* 539, BOERH. *pracl. acad. tom.* VI. *p.* 82 *sq.*

oblique ad occiput vergit, tum magis compressio venarum jugularium quam carotidum arteriarum observabitur, situatione profundiore, et symptomata congestiva et apoplectica magis eminebunt.

2. Quum laqueus inter laryngem et os hyoïdes ponitur, praesertim quum juxta angulum maxillae inferioris et processum mastoïdeum applicatur, ita ut in eum nitatur, tum vasa minori compressione afficientur, et symptomata asphyctica magis conspicua erunt. Supra vidimus KLENCKE hocce in casu occlusionem spasticam glottidis admisisse.

3. Quum autem laqueus horizontalis infra laryngem ponitur, nervi venae et arteriae magis comprimentur, et symptomata asphyctica et apoplectica conjuncta observabuntur.

Hae sunt animadversiones theoreticae, in praxi autem minime observantur; carnifices me certiorem reddiderunt laqueum ut fors fert circa collum poni, solus carnifex Arnhemensis attendebat ut funiculus nexilis laquei magis in sinistra parte nuchae esset, ut constrictionem arctiorem obtineret.

Nunc quaedam observanda de constructione laquei et modo suspensionis. Carnifices mihi monstraverunt laqueos nostra in patria usitatos, qui ex cannabi torta ordinaria crassitudine digiti medii hominis confecti erant, et duplicati circa collum applicantur. A priori, praesertim quum animadverterem mortem plerumque post 8—10 scrupulos (minuut) post suspensionem sequi, mihi videbantur tales laquei minime scopo res-

pondere, quoniam crassitudine et duplicata applicatione, constrictionem minus validam efficere debebant, et certe laquei praetenues ex bombyce confecti, quibus utuntur aliis in regionibus citius mortem producerent. Tamen experimenta quae de his institui, me docuerunt, theoriam etiam si argumentis gravibus probetur, minime semper praxi confirmari. Idem expertus sum quod ad modum suspensionis attinet, sc. aut in simplici modo maleficum sine ictu ullo de scala dejiciendi, et sine tractionibus post suspensionem, (qui mos nostra in patria viget,) aut in modo cum impetu dejiciendi aliquot pedes, sicut in Anglia, et apud alios in usu est. Videamus quid in his experimenta in cuniculis instituta me docuerint.

Cuniculi suspensi laqueo duplicato, crassitudine in proportionem laqueorum quibus in exsecutionibus nostra in patria utuntur, nullum signum vitae ostendebant post: 5 min. 4 sec., 5 min. 22 sec., 6 min. 13 sec., 7 min. 34 sec.

Cuniculi suspensi eodem laqueo duplicato, ab altitudine 2 pedum dejecti, nullum signum vitae post: 5 min. 14 sec., 6 min. 4 sec., 8 min. 35 sec. dabant.

Cuniculi suspensi laqueo tenuissimo simplice bombyceo, sine ulla dejectione post 5 min. 25 sec., 6 min. 12 sec., 6 min. 15 sec., 8 min. 13 sec., nullum vitae signum dabant.

Alii suspensi eodem modo, sed cum dejectione ab altitudine 2 pedum, post: 5 min. 23 sec., 6 min. 8 sec., 8 min. 35 sec.

Omnes statim post suspensionem immobiles, post $\frac{1}{2}$ - $1\frac{1}{2}$ min. motus violenti, sensim sensimque decrescentes. In nullo luxationem observavi, apud eos nequidem qui cum dejectione suspensi fuerant.

Quamquam praxis theoriae non plane hocce respectu respondet, hoc tamen concludendum est.

1. Structuram, et majorem aut minorem crassitudinem laquei, nihil aut parum certe valere, ad mortem celerius producendam in suspensione.

2. Neque multum interesse, utrum suspensus ab altitudine dejiciatur nec ne, neque dejectionem cum impetu universe luxationem producere posse.

Quod ad mortem per strangulationem attinet; hanc scimus fieri modo sequenti; misera ad hanc poenam condemnata, alligatur palo strangulatorio, et pedes ponuntur in scabello. — Laqueus horizontalis a tergo constringitur per foramina quae in palo inveniuntur, et aufertur scabellum.

Ante, quum crederem mortem per suspensionem praecipue produci luxatione vertebrarum, et quum hanc luxationem adscriberem impetui aut jactui qui accidebat, verba viri doct. A. MOLL, *Leerboek der Ger. Geneesk. 1 Deel. p. 482*, mea fecissem: „ Het hangen schijnt ons toe de „ voorkeur te verdienen op het worgen, uit „ hoofde van den het eerste vergezellenden schok, „ en het afstooten van de ladder of het wegrijden der kar.” — Nunc autem, re accuratius perpensa, opinione prorsus contraria sum.

Dejectionem subitam parum aut nihil in suspensione efficere, vidimus supra.

Pro strangulatione autem sequentia afferri possunt:

1. Constrictio mechanica laquei, qui in strangulatione fortius constringitur quam pondere simplici corporis, ut in suspensione.

2. Constrictio quoque in strangulatione magis continua est quam in suspensione, propter motus corporis, laqueo nunc majorem tum minorem constrictionem exercente.

3. Constrictio horizontalis quae in strangulatione locum habet, vim laquei augere debet, quum in suspensione magis in conditione pejore versatur, tractione obliqua adscendente.

Et experimenta quae institui, confirmaverunt ea quae jam a priori in favorem mortis strangulatione annotavimus, neque hoc loco, crassitudo aut applicatio duplicata laquei, (quod idem supra in suspensione vidimus), effectum diversum producebat.

Cuniculi strangulati, eodem modo quo executiones hujus poenae nostra in patria in usu est, nulla signa vitae ostendebant, post: 1 min. 53 sec., 2 min. 31 sec., 2 min. 35 sec., 2 min. 43 sec., (in hoc luxatio inter vertebram 3 et 4) et 3 min. 15 sec.

Omnes statim post constrictionem laquei motubus violentis agitabantur, quum supra vidimus suspensos ab initio immobiles pendere, nec nisi post $\frac{1}{2}$ - 1$\frac{1}{2}$ magnas turbas edere.

Vidimus in experimentis suspensionis mortem

celerrimam esse: 5 min. 4 sec., et tardissimam, 8 min. 35 sec. In strangulatione autem celerrimam, 1 min. 53 sec., et tardissimam 3 min. 15 sec. Quod nisi fallor in favorem hujus generis poenae mortis afferre possumus.

Ex antedictis credo concludi posse:

1. In suspensione, mortem universe produci causa conjuncta apoplexiae et asphyxiae, sed symptomata alterius eminere, ratione diversarum circumstantiarum exsecutionis, et pro temperamento puniendi.

2. Luxatio vertebrarum colli et laesio mechanica medullae, minime causa mortis per suspensionem universe haberi potest, quum vidimus rarissime eam locum habere.

3. Nec constrictio vasorum nervorumque, tamquam causa principalis separatim admittenda est, quoniam in priori casu symptomata apoplectica, in posteriori asphyctica magis conspicua erunt.

4. Modus suspensionis cum dejectione violenta aut cum tortionibus, (wristed motion), sive suspensio simplex, minime influentiam habet quae universe eis adscribitur, quum nullomodo favent constrictioni validiori, luxationibus, aut mortis accelerationi.

5. Constructio, neque major aut minor crassitudo laquei, quidquam conferunt ad mortem aut extinctionem conscientiae sui accelerandam.

6. Mors per strangulationem praeferenda est morti per suspensionem, quoniam et conscien-

tia sui et vita, constrictione continua mechanica et fortiore, in directione magis scopo respondente, i. e. horizontali, citius extinguuntur.

MORTIS POENA PER DECAPITATIONEM.

Postquam patria nostra liberata fuit dominio Gallorum, per se institutiones, quas ut nationales introduxerant, simul cum mutatione imperii aboleri debebant. Praesertim tempore recentiore, *guillotine* in exsecutionibus poenalibus in Gallia nimis famosam partem egerat, quam ut separari potuerit a memoria nationis, quae inventorem Guillotin civibus suis annumerabat. Hanc ob rem, (ut nonnulli volunt), tacite abrogabatur decreto 11 Decemb. 1813.

Ibi legimus art. 5. „ De doodstraffen zullen „ voortaan zijn tweederlei, te weten de strop „ en het zwaard;" et mox: „ De straf met „ het zwaard wordt uitgeoefend door onthoof- „ ding van den veroordeelden, knielende op „ het schavot en geblinddoekt."

Verbis „ *knielende op het schavot*" per se abolebatur tacite *guillotina*, quum vox *zwaard*, minus

directe abolitionem indicabat, nam antea quoque in usu erant *guillotinae*, in quibus ferrum truncans, forma erat gladii brevis. Legislator Gallicus numquam vox *Guillotina* in Cod. poen. usus est, nec accurate ibi exsecutionem definit, quum art. 12. Cod. Poen. dicit tantummodo: „Tout condamné à mort aura la tête tranchée." Decretum autem e tempore terroris, praescribebat decollationem mechanicam ope securis caducae. (Guillotine).

Certe e conspectu practico hanc poenam praeterire potuissemus, quoniam nostra in patria tantummodo nomine existit, et numquam temporibus recentioribus adhibita fuerit, sed quum inter poenas corporales in lege poenali adnumeratur, de ea quoque agere debemus.

Quum eam tamquam in usu vigentem consideramus, statim quaestio oritur: an legislator rationaliter egit, quum *guillotinam* aboleret, et in locum ejus decapitationem gladio faciendam, instituit? Objectio quod *guillotina* nimis in Gallia viguisset, ita ut in memoriam revocaret usurpationem odiosam, omittenda est, ut nimis pusillanima et minoris momenti.

Equidem minime verbis edicti assentior, quae decapitationis poenam admittunt, et tamen instrumentum abrogarunt cujus ope, optimo profecto modo, exsecutio haec perficitur.

Jam dudum in Gallia observatum erat, decapitationem gladio faciendam pluribus difficultatibus et vitiis laborare. Primo magnum robur et praesertim dexteritas in carnifice requiritur,

ut uno ictu caput a trunco separare possit. In peragendis his exsecutionibus, sensus humanitatis et commiseratio manum carnificis minus firmam reddere debet, neque hic sensus plane extingui poterit, etiam in carnificibus rudioribus et exsecutionibus frequentioribus; (neque hodierno tempore admittere possumus, eos usu quotidiano assuescere.) Ab altera parte positio praescripta patientis in genubus, minime scopo respondet. In hac positione, gladius parvum renixum directum experitur, et hic renixus fere adhuc ut elasticus considerandus. Gladius, quoniam ictus in partem posteriorem nuchae infligitur, primo attingit vertebras, quas fractione aut contritu, ictu violento separare debet, (nam falsa est opinio eorum, qui credunt carnificem exercitatione accurate in interstitiam vertebrarum ferire posse, praeterea hoc intervallum minime inter corpora vertebrarum existit); plerumque nunc vis ictus jam frangitur, et corpus semi decollatum, ut experientia saepe docuit, antrorsum impulsione cadit. Sed ponamus id non accidere, et carnificem peritum dexteritate caput sustentare gladio lato, tum adhuc partes molliores perscindendae sunt, quod minus facile est, quam a priori videbatur.

Nam gladius non agitur eodem modo ac serra, quo facile scinderet, sed magis pressione contundente tentat partes molliores separare, quod magnopere effectum impediet; id omnibus patebit si animadvertunt sectionem perdifficilem cul-

tro fieri, quando tantummodo pressione exercetur. Et nunc praeterea omittimus, agoniam aut malevolentiam patientis non impedire, quominus positionem requisitam servet ut ictus rite infligatur.

In Hannovera, ubi etiam gladio decollatio perficitur, positio patientis magis scopo respondet; alligatur sellae humili, et carnifex sinistro comam prehendens, manu dextro, brevi gladio ictum fatalem infligit.

Haec incommoda Gallos adduxerunt ut aptiorem modum exsecutionis quaererent, et diversis experimentis institutis, *Guillotinam* eligerant 21 Jan. 1790.

Guillotina praeferenda est decapitationi gladio peractae, ictus semper est certus, vi sufficiente locum designatum attingit, et positio patientis ligati firmata est. Quamquam Galli se inventores hujus instrumenti profitentur, origo eius in Persia potius quaerenda est, ubi jam securim cadentem adhibebant quam Galli modificaverunt, quum cultro recto contundenti, cultrum obliquum forma V substituerunt, qui majorem effectum scindentem exercere potest.

Exsecutio decollationis securi facienda supra tignum, quamquam nullomodo tam apta quam *Guillotina*, tamen majorem cautionem decollationis certae praebebit, quam decapitatio gladio peragenda. Recentiore tempore tamen minus in usu fuit.

Apud Romanos initio securim, postea ensem in foro adhibitam videmus, teste Lucano, qui

cum de Pompeji decollatione securi facta agit, mox addit: „Nondum artis erat caput ense „rotare." Serius quoque Germani securi et ense utebantur; Constit. Crim. Carolin: ensem tantum admittit, nam legimus: „Zum schwerdt, „mit dem schwerdt von leben zum todt gestrafft „werden soll."

Semper autem decapitatio visa est minus infamis morte per suspensionem, quam opinionem recentiores a veteribus accepisse videntur, nam Xenophon iam narrat *de* Cyri *expeditione*, Lib. II. „Non „ut Clearchus, aliique duces capite a cervicibus ablato, quod pulcherrimum mortis genus „esse censetur." — Apud Germanos decapitatio fuit privilegium nobilitatis, etiam apud alios populos hanc praerogativam tristem invenimus. Carnot narrat quomodo vel poenae capitales honores et commoda afferre possint (1).

Ergo hoc in loco vidimus modificationem poe-

---

(1) Carnot, in commentatione de Cod. Poen. agit ad art. 12 p. 45, de modo quo nonnullae familiae in Gallia conati sint, nobilitatem inde deducere, quod nonnulli proavorum caput ense rotatum habuerint. » Ainsi la famille » de Balthasar Gerards aurait continué de jouir sans ré» clamation des privilèges de noblesse que Philippe II » roi d'Espagne avait accordé a l'un de ses ancêtres, pour » avoir assassiné le Prince d'Orange, si le monarque au » lieu de récompenser une action si basse par des lettres » de noblesse, avait fait exécuter à mort son auteur par » la voie de la décollation, tandis que cette famille fut » mise à la taille aussitôt que la province qu'elle habitait » fut réunie à la France, et qu'il fallut justifier ses titres » de noblesse."

nae mortis, de qua supra egimus, nam legislator art. 5. Decreto 11 Dec. 1813 verbis: „De „straf met den strop wordt voor de schande-„lijkste gehouden" minorem infamiam conjungit poenae mortis, decapitatione peractae.

Universe statuendum est, si poena mortis decapitatione adhibetur, certe *guillotinam* omni modo ad eam perficiendam, aptissimum instrumentum esse.

Nunc autem alia quaestio gravissima oritur, an decapitatio aptus modus sit qua poena mortis perficiatur? Et quum responsum maxime humanitatis interest, et controversiis nonnullorum variis modis oppugnata est, haec poena magis specialiter perscrutunda est.

Sömmering primus sententiam exposuit, et argumentis satis validis confirmavit, post decapitationem adhuc aliquamdiu sensibilitatem et conscientiam sui perdurare. Cogitationem horrendam, caput truncatum adhuc conscium esse conditionis suae, serius confirmaverunt: Sue, Oelsner, Moyon, Wendt, Petit, Glossuis, Kentisch, Castel et civis noster A. Moll, (qui de his commentationem lectu dignam edidit, in parte priori *Maandwerk der Ger. Geneesk. Arnhem*, nisi fallor, 1842 *edit.)* ab altera parte eorum opinionem oppugnaverunt: Wedekind, Guillotin, Eschenmayr, Cabanis, Zadig, L'Éveillée, Schmidtmuller, Metzger, cet:

Si opinio Sömmeringii probanda est, tum decapitatio ut poena crudelissima en inhumanissima rejicienda est, nam illo modo verba exsecranda

monstri Caligulae effectum haberent hac poena, „*Fac ut sentiant se mori.*"

Tamen argumenta contra sententiam Sömmeringii proferuntur sequentia:

Plerumque haemorrhagia gravis et subita omnem conscientiam tollet. Sanguis est stimulus naturalis omnium organorum corporis humani, et videmus facultates organorum imminutas aut plane sublatas, quum hic stimulus aut praeternaturali modo imminuitur aut nimis augetur. Hic praesertim locum habet in cerebro, sede vitae psychicae; conf. de stimulo sanguinis arteriosi in cerebro: *Untersuchungen über das Gehirn, das Rückenmark und die Ganglien, von* James Stark *in Edimburg. Recensetur in Schmidts Jahrb. n° VIII 1 heft 1845, p. 14 sq.* Sanguis est stimulus actionis cerebralis, influentiam directam exercet in perceptionem, imaginationem, judicium, et etiam in facultatem homini forsitan exclusive propriam, nempe *conscientiam sui.* Quum stimulus hic subito evanescit, vis harum facultatum aeque tollitur. Et quomodo haemorrhagiam validiorem institueremus quam decapitatione? Et ne tam gravis quidem requiritur haemorrhagia ut conscientia sui plane tollatur, nam aneurisma rupta aut vulnera diversa ubi haemorrhagia non aeque gravis locum habet, etiam plerumque conscientiam subito tollunt. — Et ponamus, ambages numerosas vasorum cerebri adhuc sufficientem quantitatem sanguinis retinere, ut stimulum aliquem aliquamdiu exerceret, non sufficeret profecto ut facultates cerebrales

plena potentia, conscientia et perspicacitate satis lucida gauderet, ut conditionem horrendam post decollationem intelligeret. Imo videmus crebro in vita quotidiana, absentiam subitam et absolutam conscientiae oriri, etiam post haemorrhagias minores.

Quamquam haec omnia admittenda sunt, tamen confitendum est, ab altera parte facultates cerebrales et conscientiam non semper tam absolute a stimulo sanguineo pendere. Nam quomodo tum lipothymiae, (quae non ad genus apoplecticum pertinent), explicarentur, quando neque ulla haemorrhagia aut congestio eas comitatur. Ibi tamen hic stimulus pergit influentiam exercere, et tamen conscientiam plane sublatam invenimus.

Nonne durante somno conscientia sui sensim sensimque imminuitur, quum tamen stimulus hic pergit? Praeterea haemorrhagia ex capite post truncationem minime semper tam subitanea; arteriae capitis, praesertim carotides parvam quantitatem sanguinis amittunt, et contractilitate peculiari potius aliquam ad cerebrum propellunt, idem obtinetur in arteriis vertebralibus. Haemorrhagia quoque minus subitanea ex capite, propter sinus et ambages numerosas vasorum hac in parte. Nunc autem maximus effluvius sanguinis per venas jugulares locum haberet. Sed saepius observamus, quum vasa majora plane perscinduntur haemorrhagiam cessare, quod multi retractioni cuidam erethicae, convulsivae adscribere voluerunt, sed cujus phaenomeni, praesertim quod ad arterias attinet, Doct. Amussat

nuper explicationem meliorem, plausibilioremque dedit (1). Quod facilius profecto in venis obtinetur et observatum fuit.

Etiam adversarii Sömmeringii opinionis, volunt invasionem aëris athmosphaerici post decapitationem, mortem subitam producere, et conscientiam sui adimere. Admittunt, Cf. *Kritische Annalen der Staatsarzneik. für das neunzehnte jahrh. Berlin 1805. herausgegeben von* CHRIST. KNAPE, aërem athmosphaericum inter medullam oblongatam et cerebellum, inter basin cerebri et duram matrem, imo in quartum et deinde in ventriculum tertium penetrare, et impedimentum subitum producere, quod facultates cerebrales et conscientiam delere debet.

---

(1) Vir. *doct. Amussat. cf. Gazette des hopit.* 31 *Octob.* 1844. *Scéance de l'acad. des sciences*, 28 *Oct.* 1844 *Paris.* quaedam annotat de vulneribus arteriarum, et demonstrat quando in corpore vivo plane et transversaliter arteriae perscinduntur, nullomodo haemorrhagiam oriri spasmo, erethismo, aut contractione spastica, sed hunc effectum causae physicae adscribendum esse; statim autem post divisionem formatur coagulum cavum coni forma, quod vocat *Caillot spontané obturateur;* est nempe conus cavus, qui marginibus arteriae perscissae quasi conferruminatus est. Hic conus cohaeret cum membrana cellulosa arteriae, quae cum perscinditur, observare possumus cavitatem arteriae continuare in conum, et ibi coecum abire, (en cul de sac). Est continuatio, si velis, theoriae Viri Cl. J. L. PETIT et viri doct. FLOURENS, ut scriptor ipse confitetur in parte secunda relationis, ubi hanc opinionem conclusione et experimentorum relatione illustrat. Cf. *Scéance de l'acad. des sciences*, 16 *Dec. Gaz. des Hop.* 19 *Dec.* 1844.

Hodierno tempore satis notum, invasionem aëris athmosphaerici in vasa majora, mortem instantaneam producere, et ipse quoque exempla hujus rei observavi, inter alia in operatione tumoris colli anno 1841 a Viro Cl. Roux instituta. Ille et alii scriptores, hanc mortem subitam adscribunt turbationi in circulationis systemate, expansione aëris athmosphaerici calefacti, in vasis sanguiferis. Practico modo id mortem subitaneam producere, satis notum est veterinariis medicis, qui hujus ope necant equos morbo coryzae virulentae laborantes (*kwade droes, morve.*) Nondum tamen satis indagatum est, ut validius argumentum in hoc casu esse possit, praesertim quod ad conscientiae sui pertinet abolitionem. Etiam vehementer dubitamus, an invasio aëris athmosphaerici in cerebrum et ventriculos, tam facile obtineatur quam scriptores putant; praeterea tantummodo experientia nos certiores reddidit, mortem subitaneam instare, quum aër invaserat systema circulatorium, et minime ex analogia concludimus, experimentis non confirmantibus, idem in cerebro obtineri. *Conf. de his* Schmidts *Jahrb. 1845 n° VIII 1 heft.*

Voluerunt quoque commotionem violentam in decollatione conscientiam sui subito tollere. Eam sublatam observamus post commotiones violentas cerebri, non tamen intelligo quomodo commotio violenta accidere possit in decapitatione; durante exsecutione? Numquam certe si rite perficitur, qua peracta, caput truncatum cadit in

corbem serragine repletam in *guillotinae* usu, sin minus in cumulum arenae. Quot exempla contra vulnerum capitis habemus ubi commotio vehementior fuerit, conscientia sui tamen illaesa manente; v. c. in ictu acinacis in cranium, quo non solum cranium magnopere laeditur sed pars quoque cerebri aufertur, et tamen videmus conscientiam sui manere.

Voluerunt magno dolore qui decapitatione producitur, conscientiam sui plane aut partim tolli. Quamquam saepius hic effectus producitur doloribus vehementissimis, quos laesiones graviores producunt, tamen dubium est, an decollationi rite perfectae, talis dolor adsit. Contra ex analogia admittere possumus, in perscissione ramorum majorum systematis nervosi, ut v. c. in amputationibus extremitatum obtinet, minime dolorem in proportione augeri, nam saepius laesiones minores nonnullorum filamentoram systematis hujus, cruciatus vehementissimos efficiunt. Tamen nimis hypothetica est opinio eorum, qui absentiam doloris ex physionomia placida capitis truncati probare tentant, quod postremum veram esse ipse vidi, et Wendt fautor opinionis Sömmeringii etiam confirmat. Suppositio gratuita est, nam quomodo supponere poterimus, posito conscientiam sui et dolorem adhuc post decollationem exstare, post hanc laesionem gravissimam organicam, adhuc caput vultu externo, dolorem internum existentem manifestare posse. Gall certe nimium probare tentat, narrans caput truncatum Char-

LOTTE CORDAY pudore erubuisse, quod carnifex post exsecutionem populo exponebat!!

MOLL. l. l. egit etiam de contorsionibus faciei, quae motione oculorum et musculorum, aperiendis ore et labiis manifestarentur, sed nequaquam haec conscientiam sui exstare, probare possunt (1).

Certe de his exstant adhuc multae theoriae diversae et mirabiles, interdum quoque hypotheses doctissimae forsan, quas praetermitto quoniam vires meas superant, praesertim quum ad verba ESCHENMAYR attendo: *Cf.* KNAPE. *Kritisch annal. f. s. a. k. Berlin 1804.* „ Dass im Gehirn und Nervensystem eine elastische Materie „ wohne, welche bei queer durchschittenen Ruckenmark vermöge ihrer Elastizität plotslich „ entweichen musse."

Potius transeamus ad experimenta, quibus fautores SÖMMERINGII opinionem prolatam confirmare tentant, quae etiam ab adversariis, aliis experimentis contrariis, oppugnantur. Ecce eventus principales; anno 1802, D[r] WENDT in Breslau, et 1804, GUILLOTIN, NAUCHE et ALDINI sequentia annotaverunt de experimentis institutis, in capitibus recens truncatis: Caput sensi-

---

(1) » Op grond waarvan met eenige zekerheid mag » worden aangenomen dat deze galvanische werking niet » meer zij eene galvanische vitale?? *quid.?* eene met gevoel en bewustzijn plaats grijpende werking van het nog » niet ten eenenmale en geheellijk uitgebluschte dierlijk » (animale) zoo min als bewerktuigd (organisch) leven. — A. MOLL. 1 stuk Maandw. der Ger. Gen. Arnh. 1842.

bile fuisse diversis stimulis per ¼ horae partem post exsecutionem, et oculos clausisse luce splendida adlata; linguam ex ore pendentem acu stimulatam sese retraxisse, et organum auditus scienter distinxisse sonum notum, (quidem volunt nomine personae decapitatae pronuntiato, statim oculos in hanc directionem versos fuisse!) Experimenta rencentiora diversorum virorum doctissimorum Lipsiae, Koningsberg, Landshut, Argentorati et Parisiis instituta, eventus diversos, minime opinionem Sömmeringii confirmantes, produxerunt. In Diario *Gaz. des hop. 5 Decemb. 1844*, videmus Doct. Bonnafont cum Talloy in Algeria experimenta instituisse in capitibus truncatis *guillotina*, quibus experimentis ansam dedit disputatio Vir. doct. Wilson in Britannia, sed sine effectu; evitabant haemorrhagiam quantum poterant, capite statim post decapitationem posito in gypsum contritum. Experimenta a doct. Sue in animalibus instituta, quibus caput gallinaginis per 1 min., gallinae indicae 1½ min., ovis 2 min., et vitelli 6½ min. signa vitalia ostendebant, reactionem vitalem contra stimulum irritantem demonstrant, sed nullomodo vitam cum conscientia existentem. Id quoque confirmatum vidi in cuniculis, quorum capita post subitam decollationem statim in gypsum contritum posui, ut haemorrhagiam impedirem, et quae signa vitalia ostenderunt per 1 min. 23 sec., 1 min. 35, 1 min. 38, 1 min. 42, 1 min. 47 sec., 1 min. 51 sec.

Duo horum, machinali modo, aures erigebant 15-22 sec, post decapitationem. Quum ferro can-

dente oculos, aures, et nares stimulabam, tantummodo motus convulsivos, nullomodo conscientia aut dolore productos, observavi, quod etiam locum habebat quum ferro candente stimulante non utebar. Nunc posito caput truncatum hominis signa aut symptomata vitalia edidisse, (quamquam Zadig, Metzger et Schmidtmuller qui adfuerunt experimentis a doct. Wendt institutis, eventus quos ipse declarabat observasse ut falsos negant,) quomodo ex sensibilitate capitis, stimulo adlato, argumentum efficax haberemus, ut conscientia sui adhuc existeret, et non simplex irritabilitas naturalis, (erregbarkeit). Haller nos jam dudum docuit irritabilitatem (Reizbarkeit) organorum minime subito cum vita cessare, et reactionem se prodere, quum stimulis aptis erigatur; quae reactiones interdum similes sunt iis, quae in individuis viventibus conscientia praeditis sponte producuntur; sed minime haec reactio organorum perdurationem vitae intellectualis indicat, nec existentiam facultatis perceptionis, nec conscientiam sui. Nonne etiam in corporibus ipsis post decollationem diversis stimulis, motus diversos producere possumus, et certe nemo corpori truncato aut gangliis et plexibus nervosis, capacitatem aut facultatem conscientiae, qualis cerebro tribuimus, adscribere auderet. Quum in corpore, motus hujus generis in vita organica et quasi conscientia productos observamus, eos recte explicamus, actione sic dicta reflectoria, quae sine ullo auxilio cerebri locum habet, quamquam

saepius cum actione cerebri conveniant, et iis substituuntur. Cf. de his experimenta a Vir. doct. VAN DEEN, Zwollae nuper edita.

SUE videtur autem id jam pro parte intellexisse, quamquam opinioni ejus adversatur, quum galvanismum ut stimulum in suis experimentis adhibebat, dicens: electricitatem galvanicam ut thermometrum posse considerari vitalitatis, eo tempore existentis in parte corporis aut in toto corpore. His verbis se ipsum condemnat, nam nullomodo ibi conscientia sui existere poterat, ibi tantummodo vitalitas organica, irritabilitas simplex.

Quum supra dicta repetimus, apparet, verba doct. MOLL confirmari non posse (1), et ipse MOLL videtur tantummodo serius hanc opinionem adoptasse, quum in opere, *Leerboek der Ger. gen. p. 482*, potius Sedillot assentitur, et nullomodo opinio ibi laudata, cum verbis eiusdem scriptoris congrua haberi potest. Cf. Annot. p. 94.

Hucusque non admittenda nobis videtur sententia Sömmeringii: *conscientiam sui aliquamdiu*

(1) » Ik hel over tot de waarschijnlijkheid dat er na » de geweldadige scheiding des hoofds van den romp, bij » dierlijke wezens van hoogere bewerktuiging in het algemeen en bij den mensch in het bijzonder, nog voor korteren of langeren tijd gevoel met bewustheid kunne » overblijven, hetwelk aangenomen zijnde, de doodstraf » door onthoofding waarschijnlijk eene hoogst folterende, » gruwzame, en algemeen te verwerpen strafoefening is. — A. MOLL. Maandw. voor Ger. Gen. 1 stuk. Arnhem 1842.

post decapitationem permanere, et quum eam nondum argumentis satis validis physiologicis, aut experimentis practicis confirmatam reperimus, poena mortis per decapitationem rite instituta, rejicienda non est.

POENA FUSTIGATIONIS VERBERIBUS.

Haec poena antea usitata nostra in patria, durante usurpatione Gallorum abolita fuit, restituta tamen Decreto 11 Dec. 1813, unde Decretum a multis cognominatum fuit, *Geesselbesluit*, sive *Nationaal Geesselbesluit*.

Jam haec poena apud Romanos invenitur, *Cf. D. 48 tit. XIX l. 7 de poenis:* „Veluti fus-„tium admonitio, flagellorum castigatio, vincu-„lorum verberatio." — Apud Germanos antea *simplex*, aut *qualificata* erat, i. e. si decalvatio accedebat, quae censebatur existimationem laedere. *Cf.* Heineccius *J. G. L. II* § *CCCLXXIV.* In Const. Car. Crimin. legimus: „Mit ruthen „ausshawen. Offentlich inn Pranger gestelt, „und fürhter mit ruthen aussgehawen, auch „dess Landts biss auff kurtlich erlaubung der „oberhaudt verweisst werden soll."

Quum attendimus hanc poenam in Anglia pa-

naceum universale esse, in Austria in viros ictubus baculi, et in feminas puerosque virgulis applicari, idemque in Prussia obtinere, et quum ad Russiam attendimus ubi profecto modo minime humanissimo applicatur, tum quaero cur hanc poenam ut nationalem apud nostrates adnumeremus.

Quamquam multum et multa, temporibus recentioribus contra hanc poenam adducta sunt, minime eam plane rejicere possum ut indignam humanitate et scopo proposito non respondentem, et quamquam certe incommodis laborat, tamen credo eam poenam corporalem utilem et aptam esse, quum rationaliter et cum aequitate adhibetur.

Plerique mihi assentiri debebunt, poenam fustigationis omnibus fere requisitis, quae in poena rationali quaerimus, satisfacere; conf. p. 16. sq. — Si cum aliis poenis corporalibus communi vitio laborat, quod indirecte propinquorum famam quoque malefici macula adspergit, ab altera parte haec poena multum aliis praestabit, quoniam maleficum minus diu a labore quotidiano detinet, et familiam eius minus exponit miseriae et egestati, ut v. c. seclusio diuturna.

Maleficum innocuum reddere, haec poena non magis potest, quam aliae poenae corporales praeter poenam mortis aut seclusionem, et quod ad *ameliorationem moralem* attinet, non credo fustigationem id unquam directe efficere. Sed vidimus supra ameliorationem minime requisitum principale poenae aptae esse, si hunc effectum poe-

na producere poterimus, certe melius esset, sed numquam hic scopus principalis poenarum esse debet.

Objectio gravissima et principalis contra fustigationem publicam est: quod sensus dignitatis humanae non tantum gravissimo modo laeditur, sed quod eam saepe plane extinguit, et simul omni ameliorationis moralis cupiditati viam claudit.

Certe si accurate poenas corporales perscrutamur, et praesertim fustigationem, eam ut poenam psychicam et physicam considerare possumus. Praesertim hanc poenam etiam e conspectu psychico considerare debemus, quia castigatio corporalis publica verberibus, universe dignitatem hominis valdopere laedere videtur, et eam non nisi inviti in animalia bruta adhibemus.

Sed quum rite et practico modo rem dijudicare volumus, tum numquam haec e conditione morali in qua versamur consideranda est, sed universe nos aequare debemus iis, quorum in usu creberrime versabitur. Laesio aut extinctio dignitatis sensus, quae ut incommodum adnumeratur poenae fustigationis, in vita practica certe minoris momenti erit, quam a priori videtur. Sensus dignitatus maleficorum qui secundum leges nostras ad fustigationem condemnantur, eheu! *plerumque est fictio*, quem lubenter in iis supponere volumus, sed qui rarissime aut numquam exstat. Metus influentiae noxivae hujus effectus moralis, maxima pro parte evanescet, quum reperimus hunc sensum

dignitatis minime apud eos existere, quem modo gratuito eis tribuimus, quum eos moraliter nobis plane aequales fingimus. Saepius apud homines quoque sensus dignitatis *sola vanitate* producitur, qui parum laeditur eo casu, quum maleficus minus cognitus et prorsus alienus a propinquis est; quod saepius in hominibus ex illo statu obtinet, in quo numerus maximus maleficorum invenitur.

Qui hanc poenam condemnant ut (1) digni-

---

(1) » De mensch is te edel heeft men ook gezegd om » zoo ten aanzien van het publiek te worden vastgebonden » en met roeden geslagen. Hierop antwoorden wij, wel, de » mensch is ook te edel om zijn huis met geweld des nachts » te laten openbreken, om te worden vermoord of mishan- » deld, om zich van zijne bezittingen te laten berooven, om » gevaar te loopen van met dierbare panden en bezittingen » te verbranden, en dit alles in eene welgeordende maat- » schappij waarin men met regt van de regering mag vorde- » ren dat men daartegen beschermd worde. Wil men nu » die booswichten welke geen gruwelen ontzien, en zich te » midden van de maatschappij als redeloos gedierte gedragen, » ook menschenadel toekennen, dan meenen wij ten minste » als waar te mogen stellen, dat zij de aanspraak op dien » adel, door hunne euveldaden hebben verloren, en daarom » (gelijk KLEINSCHRÖD zegt), zich moeten laten welgevallen » dat zij openlijk gestraft worden, ten einde alzoo tot voor- » beeld en afschrik van anderen te worden gesteld.

» Onaangezien dien menschenadel, is men toch niet zelden » genoodzaakt om de misdadigers als men hen gevankelijk » wegvoert, te binden. Dat binden nu van misdadige men- » schen even als men vee bindt, strijdt ook tegen de men- » schenadel, het opsluiten even als men dieren in hokken » opsluit, komt ook weinig overeen met menschenadel. En » dit laatste is dan toch (vreemd genoeg) hetgeen de be-

tatem hominis laedentem, et mere applicandam nisi in animalibus irrationalibus, iis respondeo: homines inveniri qui infra animalia bruta ponendi sunt. Iis opus est poenis sensualibus, corporalibus quae directe magis in sensus agunt, et magis in proportione minoris evolutionis moralis, aut depravationis bestialis sunt. Poenas aeque difficile ac vestimentum omnibus hominibus pariter aptas reddere possumus, et tantummodo nostra in potestate est, poenam mensurae communi adaptare, credo autem hanc poenam plerumque huic fini respondere, quum ad statum socialem attendo eorum hominum, in quo maximus numerus maleficorum invenitur. Secundum opinionem philantroporum theoreticorum, omnes homines aequales considerandi sunt: jure naturali universe verum hoc esse potest, sed in vita practica sociali differentia inter summam et infimam scalam fortasse major erit, quam gradatio physica aut psychica classium

---

» strijders der lijfstraffen zelve omtrent misdadigers voor» schrijven. Erkennen zij nu de noodzakelijkheid van dat » binden, somwijlen met geweld wegvoeren, en van het op» sluiten in hokken, dan heeft dunkt ons die menschenadel » reeds zooveel van haren glans verloren, dat bij die dikwijls » vóór eene veroordeeling reeds ondergane vernedering, eene » geesseling niet veel meer vernederen zal, vooral niet wan» neer dezelve strekken kan om voor te komen, dat niet » een grooter getal menschen in het vervolg moet worden » ontadeld."

Cf. *Is het Pensylv. of eenig ander gev. stelsel zonder lijfstr. ter bevord. van afschrik doelmatig? Amst.* 1844.

animalium. Quidquid sit, minime negare possum ea quae modo dixi incommodum aut vitium hujus poenae esse, quamquam spero fore ut jam satis demonstraverim, eventum practicum non tantopere timendum esse, quantopere nonnulli voluerunt.

Adhuc hoc vitium aliquatenus evitari potest, modo haec poena non nimis crebro nec in minoribus delictis, et numquam aut rarissime maleficis junioribus infligatur.

Improbandus tamen modus quo hoc vitium eludere tentant, quum in Prussia et Austria interdum, in Bavaria semper fustigatio intra muros carceris adhibetur, nam non solum deterritionem salutarem et validam in sensus hominum rudiorum spectantium efficit, sed praeterea omnes exsecutiones privatae improbandae sunt, ob rationes supra pag. 26 allatas.

Quum hanc poenam magis e conspectu physico contemplamur, tum videmus eam maleficum graviter et moleste afficere, sine ullo incommodo corporali, si nempe idoneo modo applicatur; hanc ob rem semper a medico prius examinandus esset condemnatus, et secundum constitutionem et habitum corporis, maximus et minimus numerus ictuum determinandus; aut exsecutio hujus poenae prohibenda esset si serius incommoda producere posset; v. c. habitus debilior corporis, praedispositio ad morbos pectoris aut ad haemoptisin, et aliosque nonnullos, sicut Epilepsiam, cet.; a medico non a judice haec dijudicanda sunt. Lubenter confiteor me

indignatum fuisse, quum anno 1843 epilepticum verberatum vidi, qui postquam deligatus erat, nudus in catasta, propter convulsiones horrendas a carnifice et adjutoribus retineri non poterat. Talia exempla profecto evitanda sunt, sed minime hanc ob rem poena, sed modus quo applicatur condemnandus est.

Vir Doct. HENKE, caeteroquin adversarius poenae fustigationis, objicit majorem aut minorem gravitatem exsecutionis nimis in potestate carnificis positam esse, et proponit ut haec difficultas evitetur, *Handbuch des Criminalrechts und der Criminalpolitik von* EDUARD HENKE, *p. 431. Berlin 1823*, fustigationem machinalem! quae duplicis commodis gauderet, ut et poenam justa mensura applicaret, quum nullomodo ab arbitrio carnificis penderet, et respectu morali minus dignitatis sensum laederet, quum non manu hominis sed machina, fustigatio applicatur.

Miranda sane haec propositio esset, nisi hodierno tempore ubique machinae in usu essent. Hoc tamen vitium facilius evitandum, si id efficiamus ut poena minus consistat numero definito ictuum, quorum gravitas ab arbitrio carnificis dependet, sed effectus eorum potius numerum ictuum constituat.

Caeteroquin poena apud nostrates scopo respondet, ubi virgis betulis applicatur, quum contra ictus loramentis, arundinibus, aut baculis ligneis inflicti, vi trementi et penetranti magis nocebunt; poena numeros ictuum satis modi-

ficare potest, quum non opus sit ad gradationem minutam Sinensium refugium quaerere.

Ex ante dictis concludo: si ad genus hominum incultum attendimus ubi maximus numerus maleficorum invenietur, si hanc poenam ex statu morali eorum judicamus, et si eam rationaliter et humaniter adhibemus, fustigationem utilem poenam corporalem esse, qua hodierno tempore aegre carere possumus.

POENAE LIBERTATEM SPECTANTES.

Motto.

Nonne ridiculum foret postulare, ut pileus unicus omnibus hominibus aptus esset? Eadem obtinebunt quando ab applicatione exclusiva unius systematis aut theoriae, effectum eundem in hominibus maxime diversis requirimus. Elige ex theoriis Pensylvanicis, Virginianis, aut Auburnianis, ex systematibus poenitentiariis, agricolis et officinalibus, (fabriekmatig), ex disciplina et solitudine, ex praemiis et poenis, omnia quae scopo proposito respondent, sed cave ne adplices regulam unicam, systema unilaterale in omnibus; nam causae similes minime in res diversas effectum eundem producere possunt.

Quum fine saeculi praecedentis et initio hujus, argumenta satis efficacia contra applicationem nimis generalem poenae mortis et poenarum directarum corporalium proponebantur, et multi iis plane substituere volebant poenas solam libertatem afficientes, haec sane omnia multum conferre debebant ad modificationes maximas producendas, in systemate poenali seclusionis.

Praeter numerum ingentem scriptorum et propositionum, passim hic illic experimenta instituta sunt, ut optima ratio modificationis inveniretur. Plane ex conspectu diverso haec poena considerari coepta est quam antea fieri solebat; nempe in jure Mosaïco seclusio tantummodo faciebat ad custodiendos malificos; in jure Romano praeter hunc finem carceres poenis gravioribus destinati erant, metallis, fodinis, cet. Sed modo quo in condemnatos saeviebant, apparebat vindictam socialem priori loco haberi. In jure Canonico, seclusio perpetua et temporalis magis erat poenitentia religiosa. Quum hanc poenam in Const. Crim. Carol. perscrutamur, praesertim eam inservire videmus loco mulctarum non solutarum. Jam in hac lege poenali rudiori, incultiori, prima rudimenta seclusionis solitariae invenimus, de quibus infra.

Finis quo hodierno tempore seclusio consideranda est, his constat rationibus:

I. Seclusio debet malum (poenam) constituere malefico.

II. Debet eum innocuum reddere, et impedire quominus societas obnoxia sit ejus moliminibus criminalibus.

III. Qantum fieri potest maleficum ameliorare.

Multum certe in utramque partem de applicatione hujus poenae disputari potest. Commendari potest:

1. Quoniam admittit latissimam gradationem

in secludendo, modificatione generis, temporis, et modo tractandi maleficos; et sic eam facilius in proportione criminis applicare possumus.

2. Quoniam modo certo maleficum innocuum reddit, et societatem assecurat.

3. Quoniam saepius poenis corporalibus substitui, aut eas excipere potest.

4. Quoniàm rationaliter adhibita, tentamina fausta ad ameliorationem moralem instituere potest.

Ab altera parte quoque incommodis gravibus laborat, nempe:

1. Sumtubus majoribus.

2. Exponendo familiam malefici miseriae et egestati; quoniam seclusio diuturna eum a labore quotidiano retinet.

3. Periculo in quo societatis quies versetur, accumulatione maleficorum.

4. Influentia perniciosa consuetudinis maleficorum inter se, et corruptionis.

5. Spes relicta evasionis et libertatis recuperandae, quae nullo modo tolli potest.

6. Facultas arbitraria directorum et custodum carcerum, quae certe pro parte, sed numquam tota coërceri potest.

Haec vitia, diversa systemata emendare aut plane tollere conantur: quid valuerint, infra videbimus.

Universe rationes diversae poenarum libertatem spectantium, quod ad modum et tempus attinet, sunt:

A. *Poenae libertatem afficientes quae eam parum coërcent.*

EXSILIUM. { Cum indicatione loci habitationis, sc. CONFINATIO.
Cum defensione adeundi certas regiones, sc. RELEGATIO. }

B. *Poenae libertatem afficientes quae eam magis coërcent.*

Abductio ad locum designatum exsilii, sc. DEPORTATIO.

C. *Poenae libertatem afficientes quae eam plenissimo modo coërcent.*

INCARCERATIO. 1. QUOAD TEMPUS.

PERPETUA.
TEMPORALIS. { Accedente opere coacto.
Aut non accedente, intra muros aut publice. }

2. QUOAD FORMAM.

1. Incarceratio communis, (sine separatione), cum aut sine opere intra muros.

2. Incarceratio communis cum opere coacto publico. *Bagnes*, opera militaria sive munimenta.

3. Systema Auburnianum.

4. Systema Virginianum.

5. Systema Pensylvanicum.

Quaestio utrum societas jure libertatem individuorum coërcere possit, jam satis universe elucidata est, quum de juribus societatis in applicanda poena mortis et corporali egimus; et in generalibus nos eo referimus ne diutius moremur. Quod autem ad tempus seclusionis attinet, eam videmus PERPETUAM, (Eeuwigdurend! perpetuel), et TEMPORALEM esse.

Magna controversia est de tempore seclusionis, et multi plane rejiciebant SECLUSIONEM PERPE-

TUAM, has ob rationes: 1. Quoniam ipsa et consequentia cum morte civili aequiparari possit, et vitia quae nemo infitias ibit, communia habet cum illa. 2. Quod praesertim quando cum opere coacto conjuncta est, si non nomine at re tamen servituti aequiparari potest, quae ab hodiernis moribus aliena est. 3. Quod seclusio perpetua in iisdem criminibus constituta, saepius non aequitati respondebit, et aegre applicetur in proportione criminis, quum v. c. seclusio perpétua non aequaliter affligat hominem 20 aut 60 annorum. 4. Quod perniciosum effectum habere debet in ameliorationem moralem malefici. 5. Quod praesertim apud illos populos, qui non sicut Anglicus et Russicus locos deportationi aptos habent, (quod proprie ut modificatio seclusionis considerandum est), seclusio perpetua difficilis erit, propter sumtus majores.

Certe haec omnia animadvertenda sunt: tamen ad illud attendendum est, quod hodie, quum poenae mortis saepius reclusionem substituere quibusdam placet, gradatio aptior obtinebitur seclusione perpetua, quam seclusione temporali. Est axioma naturae humanae proprium et omnibus cognitum, omnem miseriam cujus finis perspiciatur, minorem vim ad deterrendum habere. Comparatio cum morte civili aut servitute, minus propria est, quoniam hic maleficos habemus, et nullomodo homines liberos et inculpatos; societas quoque jura peculiaria in eos acquisivit, statu criminali in quem se volontarii conferebant. Minime negandum, seclusionem per-

petuam non aeque affligere hominem 20 et 60 annorum, sed annus unus in proportione majoris pretii erit septuagenario, quam plures anni homini juniori. Aeque verum est, cogitationem seclusionis perpetuae, omni spe liberationis sublata, ameliorationi morali plus minus obstare, sed amelioratio malefici alicujus sane momenti est in puniendo, nunquam autem requisitum principale poenae. Sumtus majores certe recte objici possunt, qui tamen institutis aptis imminui possunt.

Haec in utramque partem disputata effecerunt, seclusionem perpetuam alio tempore admissam, alio tempore rejectam esse. In Gallia, concio cui nomen *Assemblée Constituante*, 24 annos statuit ut maximum, Codex Poenalis 1810 rursus admisit seclusionem perpetuam, et anno 1832 quum *Camera electorum* (chambre des deputés), de hoc argumento agebat, eam servare placuit. In Bern constituerunt in 1835, annos 20 ut maximum, et decreto 11 Dec. 1813 idem apud nos in usum venit.

Geneve et Zurich fortasse rectius egerunt admittentes seclusionem perpetuam, ea tamen ratione, ut condemnatus pro circumstantiis diminationem poenae post 20 annos obtinere posset; non solum invenimus ibi meliorem gradationem, sed poena magis deterrebit, et spes diminutionis poenae, vim salutiferam habere potest in ameliorationem moralem.

Concludimus: Seclusio perpetua, praesertim hodierno tempore retinenda, (id quoque in codice futuro nostro poenali proponitur, Cf. Me-

morie van toelichting enz. supra laudata,) si seclusionem universe poenis mortis et poenis corporalibus substituere volumus, recte autem mitigatur si tantummodo post spatium 20 annorum, diminutio aut gratia concedi potest.

Compilatio foret longissima et taediosissima descriptio diversorum systematum seclusionum poenalium; haec enim omnia a compluribus scriptoribus doctioribus indoctioribusque, philosophis theoreticis, practicis, philantropicis, cet. apte et inepte, descripta et illustrata sunt. Omittimus ergo talem compilationem et etiam descriptionem *systematis?* nostra in patria vigentis, (1) (quod malo praeterire postquam institutiones poenales praecipuas visitavi); praefero breviter systema indicare, quod fortasse nisi plane aptum, melius certe scopo responderet quam instituta existentia.

Ut autem fundamentum habeam in quo reliqua rationaliter exstruere possim, nonnulla ge-

---

(1) Viro quodam praeclarissimo rogante virum doct. Moreau Christophe, qui instituta praecipua poenalia nostra in Patria perscrutaverat, quaenam ejus opinio esset de his, gratiose respondebat modo evasivo. Facete hac gratulatione ostendebat, omnes carceres nostros tam vitiosos esse, ut nulla modificatione ameliorari possent, sed ab initio iterum construendos. — Certe melius est systema non constructum ex fragmentis et reliquiis alterius vetustioris, quod condemnatur; et certe patriae meae congratularer, nisi experientia me docuisset in aliis rebus, talem modificationem longissime remotam esse.

neralia praemittam, ut indicem cur hoc aut illud praeferam.

SYSTEMA SEVERUM CELLULARE PENSYLVANICUM.

Seclusio solitaria diurna et nocturna sine opere, silentium absolutum, nulla communicatio cum custodibus, amicis et propinquis, cet., verbo, seclusio haec qualis usque ad 1838 vigebat in Pensylvania, Cf. *Prisons de la Philadelphie par Mr le duc de la* ROCHEFOUCAULD LIANCOURT, et *Revue pénitentiare par* MOREAU CHRISTOPHE, *tom. 1 p. 40 sq.*, numquam universe adhibenda esse mihi videtur, et his duobus casibus tantum accipienda:

1. Ut, *jam incarceratis* poena sit per breve temporis spatium.
2. Ut *condemnatis* sit praeparatio ad aliud genus seclusionis.

Nolo enumerare omnes objectiones quibus systema Pensylvanicum severum oppugnatum sit, inter quas praecipue mortalitas et dementia frequentior, (de his annotabo apud Systema Virginianum), sed ratio cur illud rejiciam ut poenam universam per longum tempus, haec fere est: non infitias ire possumus, intelligentiam diminui et obtorpescere debere diuturna solitudine absoluta, praesertim in hominibus rudioribus incultoribusque, qui cogitationes tantummodo ex rebus sensualibus oculis obvenientibus hauriunt: exercitatione et contritione deficientibus, facultates mentales necessario obtorpescunt universe, et producunt post quoddam tempus speciem inanitionis, stuporis.

Ut enim sensim sensimque in membro, ad quietem absolutam condemnato, paralysin oriri observamus, ita atrophia quaedam producitur in homine morali.

Effectus profecto diversus erit pro diversis hominibus, v. c. illis quos observamus facultates jam debiliores et minus evolutas habere, reclusio solitaria in longius producta perniciosissima erit, nam stupor quidam aut idiotismus artificialis orietur. Alii qui semper cogitationem in unicam ideam concentrant: et consueti sunt aut addicti meditationibus abstractis, sensim sensimque in monomaniam incident, quae characterem meditationis objecti habebit. Minorem effectum perniciosum producet in eos, qui cum flegmate naturali constitutionali magnam energeiam conjungunt: potius abjecti fiunt quam quod laeduntur in facultatibus moralibus. Minime tamen admitto reclusionem sev. Pens. quamvis longe productam, universe dementiam efficere, quod nonnulli voluerunt (1). Sed poe-

---

(1) *Mémoire sur l'hygiene des condamnés, détenus dans la prison pénitentiaire de Genève, par* Coindet, *medecin de la maison des aliénés à Genève. Paris* 1838. Dr. Grosse, *Examen médical et philosophique du syst. penit. Paris* 1838. Dr Verdeil, *Réclusion dans le canton de Vaud, et sur le pénit. de Lauzanne. Lauzanne* 1842.

Omnes hae disputationes praeclare refutabantur, in dissertatione viri doct. Moreau Christ. infra laudanda. Cf. quoque conclusiones in diario, *Times* 2 *Decemb.* 1842. et disceptatio inter Fratres Telkampf et Dr Julius, et

na ita adhibita inhumanissima est, nec scopo respondet, quod intellexerunt MILBANKI et LAUSANNAE, ubi seclusionem severam PENSYLVANICAM reduxerunt ad spatium 3 mensium, PENTONVILLAE usque ad 18 menses; doctissimo Julio, maximo propugnatore, declarante, eam non ultra 7 menses adhibendam esse; alii 4 menses ut maximum admittunt (1).

Tempus definitum praescribere, minus rationale mihi videtur, quippe quum effectus diversus sit pro diversis hominibus. Experientia recte docuit Sylvium Pelliconem, dicentem in opere

---

MOREAU CHRISTOPHE, *Revue pénitentiare*, *tom.* I. *p.* 500. *Brief aan den Heer* W. H. SURINGAR, *over de Krankzin: in de strafgesticht: door* D[r] GEORG. VARRENTRAPP. De mortalitate cf. infra ad syst. VIRGINIANUM et praeterea:

Fiftheenth annual report of the inspect: of the Eastern penitentiary; MOREAU CHRIST., *Revue pénit. tom.* 1. *p.* 533. *Discussions sur la loi des prisons à la Chambre des députés.* 1844. 5 *livraison.*

Einige Gegenbemerkungen zu Hofrath RISTELHUBER'S *Ausserungen gegen das Pensylv. system*, *von* D[r] DIEZ. Conf. *Jahrb. Gefang.* 4 *b.* 1 *heft. Francf.* 1844.

(1) In nostro cod, poen. futuro placet eos qui ad 20 annos detentionis condemnati sunt, per 12 annos secludere in cellula solitari, et in reliquum poenae tempus systema AUBURNIANUM adhibere. Cf. *Memorie van toelichting*, supra laudata; nam animadvertunt, longiorem solitudinem noxiam esse facultatibus mentalibus malefici. Ad haec animadverto: ii qui per 12 annos sine damno physico aut morali, solitari solitudini assueti sunt, certe reliquum tempus sine damno degere possunt eodem modo, nam plerumque effectum perniciosum ante 12 annos sese prodit, numquam aut certe rarissime post hoc spatium temporis.

Mes prisons: p. 326. „ La solitude peut ètre „ bonne à l'amendement de quelques âmes, „ mais je crois qu'en general elle l'est plus en- „ core, si on ne la pousse à l'extrèmité, si „ on ne l'isole completement de tout contact „ avec la société.

Solitudo absoluta longior sine labore eo vitio laborat, quod pro magnitudine poenae quae gravissima est patienti, tamen homines alios incultiores a priori non deterret, ergo contrarium effectum habet ejus, quod Bentham desiderat in poena: „ Qu'une peine réelle qui ne „ serait pas apparente, serait perdue pour le „ public, et que le grand art est d'augmenter „ la peine apparente, sans augmenter la peine „ réelle."

Hanc ob rationem systema severum Pensylvanicum tantummodo per breve tempus probandum, praesertim ut finis ad praeparandum maleficum condemnatum ad longiorem detentionem (vid. infra). Certe plerumque influentiam moralem et salutarem habebit si idoneo modo adhibetur, praesertim in stadio quod Sander *secundum* vocat. *Cf. Jahrbucher der gefangniskunde, 3 band, 1 heft, 1843. Ueber Isolirung der Strafgefangenen.*

Deinde Systema Pensylvanicum severum adhuc adhibendum est ad puniendos incarceratos, quod jam in usu esse videmus in diversis civitatibus Americae septentrionalis, quum et tamquam *poena* insuper gradationem admittet; v. c. 1 *Seclus. sev. Pens. cum opere.* 2 *Sine ulla occupatione.* 3 *Cellula obscura.* Quum poenae in carcere infligatae, sem-

per aggravare debent malum jam inflictum, semper hoc in casu adhibenda est diaeta simplicissima panis et aquae, et certe paucos fore puto, qui diu indociles sese ostendent. — Numquam autem fame coërcendi sunt. — Bentham l. l. tom. III, p. 256, ad hoc systema annotavit:
„ C'est donc une pénitence qui peut être utile
„ pendant quelques jours pour dompter un es-
„ prit de rebellion, mais il ne faut pas la pro-
„ longer. Le quinquina et l'antimoine ne doi-
„ vent pas être employés comme aliments or-
„ dinaires.

Ex supra dictis reperimus nisi fallor: systema severum Pensylvanicum universe rejiciendum, ut systema reclusionis in tempus nimis diuturnum, quamquam objectionibus quod moraliter aut physice captivos laederet, minime vim eam tribuere possumus quam nonnulli voluerunt, tamen hoc systema utilissimum ad praeparandos captivos, aut ad eos durante incarceratione puniendos, per tempus breve definitum.

Systema Virginianum. Omnibus notum hoc systema mitigationem esse, systematis severi Pensylvanici, (nunc autem quoque in Pensylv. modificati).

In hoc systemate obtinet quoque seclusio solitaria diurna et nocturna, sed operibus diversis, allocutionibus custodum et frequentatione visitantium, ambulationibus, cet, gaudent captivi. Certe hoc systema maxime scopo proposito respondet, quum commoda magna possideat, et diutius sine damno physico aut morali in deten-

tos adhiberi possit, nam universe hodie experientia docuit, nullam influentiam noxiam aut in corpus aut in mentem captivorum producere.

Praeter multos alios scriptores qui de eo egerunt (1), quinque viri constituti sunt qui in illud inquirerent, nempe viri doct. MARC, PARISET, VILLERMÉ, LOUIS et ESQUIROL *Cf. Bulletin de l'acad. tom. III 3 Jan. 1839*, qui sequentia pronuntiaverunt:

„ La réclusion solitaire de jour et de nuit, „ mais avec travail et conversation avec les „ chefs et inspecteurs, n'abrège pas la vie des „ prisonniers, et ne compromet pas leur raison."

Nuper concio, cui nomen *Chambre des Députés*, post polemicam utilissimam, recte hoc systema universe in Gallia adoptavit. Non amplius de his disserimus, quum omnes qui de hac re judicare possunt, prorsus conveniunt.

Qui plura de his legere cupit, referendus est ad *Revue Pénitentaire*, *tom. II*, *sous la direction de* Mr MOREAU CHRISTOPHE, ubi rationes diversae in utramque partem allatae, in disceptationibus politicis adjunctae argumentis, luculentis-

---

(1) Cf. MOREAU CHRISTOPHE *de la mortalité et de la folie dans le regime pénitentiaire. Mémoire présenté à l'acad. de Paris* 1839. *De l'influence de l'emprisonnem. cellulaire sur la raison des détenus; Mémoire lu à l'acad. des sciences morales et politiques*, *par* F. LELUT 22 *Mars* 1844. BAILLARGER *sur la mortalité et la folie dans le regime pénitentiaire. Paris* 1840.

Annual reparts of the inspectors of the eastern state penitentiary of Pensylvania. 1—144 *year.*

sime exponuntur. MOREAU CHRISTOPHE in tomo priori hujus operis, objectiones principales contra hoc systema allatas, magna cum laude oppugnat (1).

Ergo systema Cellulare Virginianum, sine dubio in plerisque casibus idque per longius temporis spatium rationaliter adhiberi posse, et plane fini proposito respondere sine incommodis gravioribus, statuimus.

SYSTEMA AUBURNIANUM, in usu venit anno 1816. — Initio non separati operibus vacabant diversis captivi, durante die, sed silentium absolutum observare debebant; nocte duo in eadem cellula includebantur. Deinde recte seclusio solitaria per noctem instituta est.

---

(1) Hae nonae objectiones cum successu defenduntur, a viro doct. III livraison, p. 459 sq.

1. La solitude est contraire à la loi de l'humanité, de la sociabilité, de la nationalité.
2. La cellule, panacée universelle du système ne peut par elle même produire l'amendement du détenu, elle le déprave au contraire.
3. Impossibilité, inutilité, mitigation des visites aux détenus en cellule, et commissions de surveillance.
4. Le système de Philadelphie est inhumain, et exige l'emploi des chatiments barbares.
5. Le system. de Phil. rend fou.
6. » » » » altère la santé et la vie des détenus.
7. Recidives.
8. Cultes, Catholicisme, Instruction scolaire.
9. Travail, dépenses, communications, personnel, modific. du cod. pén., Libérés, Déportation, Uniformité de la peine. Opinion des practiciens.

Praesertim huic systemati objicitur, quod malefici consuetudine inter se junguntur durante die, eodem in loco operi vacantes: tamen incommodum hoc minus perniciosum erit, si semper captivi iidem in eadem classe manent, et classes ex numero parvo maleficorum constituuntur. Altera objectio, aegre silentium absolutum obtineri, et violationem frequentem hujus praecepti numerum poenarum nimis augere; ad quod profecto attendendum est, quum vidimus in carcere, cui nomen Coldbathfields-prison anno 1843, 1100 captivos fuisse, e quorum punitionibus qui fere 18000 erant, 9000 poenae erant violationis silentii praescripti. Etiam illud vitium est, quod in hoc systemate captivi nonnulli aliis praeponuntur, ut silentium curent. Director qui carceri WESTMINSTER praefectus est, confitebatur maleficos maxime perversos optimos custodes esse, et hanc ab rem tales vulgo eligi. Hoc respectu, systema illud legibus et sanae rationi repugnat, quod malificos maxime perversos custodes adhibet caeteris, et eos moraliter erigendo, *suprematiam* criminis instituit.

Haec vitia evitari possent, si diminuitur numerus classium captivorum qui conjunctim operi vacant, v. c. non ultra 25. Homo natura loquax et sociabilis, nullomodo cogi potest, ut omnem communicationem verbis aut signis cum consortibus plane omittat; severitas nimia hoc respectu iniqua et hominum naturae non apta erit, et certe sufficit prohibere sermones generales longiores, disputationes, controversias, cet. Id

facilius assequetur neque custodiam molestam reddet, si classes non pluribus 25 captivis constituantur, quo simul evitabitur consuetudo nimis generalis, quam perniciosam esse novimus.

Doct. Diey, vir praeclarus experientia doctus, sustinet difficultates hujus systematis allatas supra modum auctas esse, et facile praeceptis hujus systematis satisfieri, si non nimis stricte aut pusillanime exigitur (1).

Tamen numquam systema quod Bernae viget imitandum est, ubi incarcerati conjuncti operibus rusticis gratioribus vacant; si haec instituere voluerimus, tum labor gravior, durior imponendus est, ut infra praescribimus, alioquin poena seclusionis iis minus malum erit.

Quomodo autem nonnulli ex systemate Auburniano deduxerint effectum noxium in facultates mentales, non intelligo. — *Cf.* Demetz *et* Abel Blouet, *rapport sur les pénitentiares d'Amerique; in folio p. 53.*

Concludimus: Systema Auburnianum rationaliter adhibendum est in seclusione diuturniore, classibus ex paucis individuis nempe 25 constitutis, dummodo non pusillanimo modo et nimis stricte silentium absolutum exiga-

---

(1) Cf. Mr Vatout, Portalis *et* Mounier, *Rapport de la Commission des Prisons 1838; Rapports des directions de* Codillac, Clermont Oise, Haquenau, Loos, Melun, Riom, Beaulieu 1838, *Discussions sur la loi des prisons, Chambre des déput.* 1844 l. 1.

tur, et violationes minores non severiter puniantur.

SECLUSIO COMMUNIS ORDINARIA CUM OPERE COACTO PUBLICO CONJUNCTA. Seclusio cui nomen BAGNES, opera munimentorum militarium.

De his BENTHAM, *théorie des peines et récompenses, tom. 1 p. 189* jam annotavit: „ Dans „ les travaux publics, l'infamie de la publicité „ tend plus à dépraver les individus, que l'ha„ bitude du travail ne tend à les réformer." Quod quotidie in Gallia confirmatum videmus, ubi BAGNES considerari possunt, ut academiae ubi educatio criminalis magis expolitur. Credo neminem has institutiones quales existunt, defendere audere, et quamquam nondum abolitae sunt, una voce tamen condemnantur.

Quum autem quaeritur an vitium haereat in opere coacto publico, illud negandum puto, sed contendo vitium constare modo quo hoc systema adhibeatur. Instituta poenalia BAGNES vocata, in Gallia certe tamquam exemplum citanda sunt, omnibus qui vitia capitalia omnia prorsus conjuncta, in poenam unam videre desiderant. 1. Consuetudo continua et coacta magni numeri maleficorum, qui ibi consortia futura criminalia moliri facile possunt. 2. Continua expositio infamiae vulgo, quod aeque ac malefici ipsi, huic assuescit. 3. Nulli conatus ad ameliorationem moralem captivorum. 4. Praemia et poenae minime scopo proposito respondentes. 5. Sumtus majores, et difficultas summa ut occupentur operibus lucrum afferentibus.

Certe omni respectu hae institutiones quales existunt, improbandae sunt.

Fuerunt qui jus societati negabant maleficos ad opera cogendi, tantummodo ei tribuebant jus libertatem coërcendi individuorum, quibus salus aut quies societatis periclitabatur, ut se ipsam salvam redderet; sed quum opera coacta cum coërcitione libertatis conjuncta ideam servitutis producerent, societati nihil praeter jus libertatem noxiam constringendi, concedebant. Minime cum iis facio, neque intelligo hoc argumentum.

Carceres inponunt societati impensas majores, et nonne aequum est, eos qui societatem cogunt haec instituta constituere, sua vice cogi quantum fieri potest, ad impensas solvendas et praeterea victum quotidianum quaerendum; aut aequius esset, mille alios homines probos, qui victum quotidianum familiae quaerere debent cogere, ut hi quoque graviter laborarent commodo maleficorum, qui ipsi sese sustentare possunt, sed malunt otiosi ut parasiti alios premere. In Cod. poen. nostro futuro, admittunt ut malefici operibus suis, quantum fieri potest, impensas tentent compensare. Cf. *Memorie van toelichting op de VII eerste titels van het strafwetb. 9 Februarij 1846.*

Difficultas autem erit opus aptum eligere.

In carceribus systematis Auburniani aut Virginiani tantummodo opera minus molesta, et tantum officinalia (fabrijkmatig) adhiberi possunt; hoc igitur genus operis est gratum, est bene-

ficium quod poenam seclusionis leviorem reddit (1). Quamquam laudabile sit universe hominibus ostendere voluptatem vitae laboriosae, tenendum tamen laborem tempus brevius reddere et gratius, et sic poenam magnopere allevare. Seclusio autem semper malum sensibile poenae manere debet, praesertim hodie quum universe hanc poenam multis aliis substituere volunt. Quot exempla jam docuerunt criminum in eum tantum finem commissorum, ut reverterentur in domum bene instructam et commodam, ubi semper victum quotidianum inveniunt, liberati a curis materialibus, ubi interdum etiam peculium colligunt.

In Gallia, ubi captivi juniores in carcere LA ROQUETTE, artes manu faciendas diversas (handwerken) docentur, exempla exstant parentum qui liberos ad crimen levius incitant, ut in carcere *gratis* educentur et artem discant. Dolendum, plerumque labores in carceribus cellularibus et Auburnianis per se minus rudes et mo-

---

(1) Experientia docuit seclusionem cellularem Pensylvanicam sine opere, poenam esse qua malefici ferocissimi constringi possint; universe 6 hebdomades seclusionis secundum syst. Pensylv. sev. sine opere, graviorem poenam esse, quam totum anuum cum opere secundum syst. Virginianum. Hanc ob rem *privatio operis* ut poena magnopere hoc in casu praestare potest, et praesertim poena rationalis est, quum simul indicat hominem se ipsum jam punire, quum officiis suis non fungitur. Tremuli (Kwakers) non sine ratione contendunt, ameliorationem moralem sine opere, prorsus non fieri posse.

lestos esse; hanc ob rem opera ibi magis ut praemium consideranda sunt.

Contra opera ad aggeres, munimenta et talia cetera, magis poenam constituunt; primo, labore rudiore, et praeterea conspectu naturae gaudentes et in societate consortium, minime indigent amoenitate operis, quae in cellula solitaria necessaria erat; nunc opus poenam constituit, et pejorem reddit conditionem captivorum. Nunc autem opera publica vitiis laborant, quae condemnavimus supra in institutionibus BAGNES vocatis, in - Gallia. Quum autem opera rudiora et molestiora, (quae ad lucrum pecuniarium producendum diversis in locis, nonnisi in publico, locum habere possunt,) mea opinione, conjungenda sint cum poena seclusionis, breviter annotabo universe quomodo applicanda sint. Infra demonstrabo captivos tantum ultra 10 annos condemnatos, ad opera publica adhibendos esse, et hiberno tempore cet: quum impediuntur operi vacare, Systema Virginianum cellulare applicandum esse.

Labores rudiores molestioresque, ad aggeres et munimenta, ad obices aquarios cet: esse debébunt: civitas eis ipsa uti potest, aut cogere conductores operum publicorum ut eos adhibeant, mercedibus constitutis (1).

---

(1) Si rite adhiberetur, eventus majus lucrum afferre debuisset. Si relatio nob. TURPINIER vera est, anno 1838, Minister Marinae in Gallia lucrari potuisset 900,000 frs. quovis anno, si loco maleficorum ad opera coacta

Haec classis dividenda erit in divisiones ex 50 constantes, et numquam numerus major eodem loco simul laborare debebit, ad evitandam consuetudinem at ad faciliorem reddendam custodiam.

Si opera non longe a carcere abest, nocte eos in cellulis includi volo, sed si distantia nimis inter opera et carcerem, tum horrea mobilia constituenda sunt, ubi 25 captivi in utroque latere, pedibus catenis ligatis, in lectis ligneis militaribus, pernoctare poterunt.

Rite adhibiti 12 milites sufficient ad custodiendam classem unam.

Quum in alium locum transferuntur, cucullis a

---

condemnatorum, opifices adhibuisset. Quid haec autem probant? Nihil, nisi illud quod non idoneo modo ad opera diversa adhibiti sunt. Ceterum, sumtus in *Bagnes* factos non ut nimios considerare possum. Anno 1844. 1 Apr. in tabulis accepti et expensi, (budget), requirebantur circa 2000000 frs, et tum *in Brest* 2876 detenti, *Rochefort* 1102, et *Toulon* 3638 erant, quod facit: 7616. Ergo circa 261 frs expensae in singulos maleficos.

Nostra in patria, cf. *Weekbl. van het Regt* 16 *Jan.* 1845. Maximo et minimo numero sumto:

In 8 carcer. criminalib. (strafgevangenissen) . .	3036
In 12 carcer. mil. et civil.	1191
In 23 carcer. detentionis (huizen van arrest.) .	445
In tot.	4672

Anno 1846, impensae constituebantur usque ad fl. 816060,00 in carceres, (tamen quaerendum utrum impensae administrationis his comprehensae sint, an impensis administrationis generalis *f* 9.996,299,66). — His omissis tum singuli malefici, in *f* 175 computandi sunt.

conspectu publico celari poterunt, et in circuitu operis, spectatores a custodibus retinendi sunt, cet: Omnia minora adjumenta afferre longum erit, sed illo modo adhibito, commoda sequentia nobis se produnt:

1. Labor molestior, gradationem constituet in poena seclusionis. (Non credo opus esse, ut hic moneam numquam licere, ut opera periculosa vitae aut sanitati sint.)

2. Opera rite adhibita, sumtus incarcerationis cet: magna pro parte compensabunt.

3. Opus ubique perfici poterit, quum horrea mobilia in locos a carcere remotiores, transferri poterant. In Gallia enim, hoc respectu pecuniario obstabat, quod opera semper procuranda erant eodem loco. *Cf. Mémoire pour servir à l'histoire de la ville et du port de* ROCHEFORT, *par Mr* THOMAS.

4. Incommodum consuetudinis minus erit, quum quaeque classis tantummodo ex 50 constituetur.

5. Quamquam opus publicum est, incommodum tamen evitabitur, quod adspectus continuus aliorum, pudorem infamiae plane tollet.

6. Tentamina ad ameliorationem, adhiberi poterunt durante seclusione cellulari, quum opera, diversis ob causis, interrumpuntur.

Concludimus: laborem rudiorem coactum publicum ita institutum, ut malefici nec consuetudine inter se aut cum aliis gaudeant, et custodia rite adhibeatur, gradationem utilem et rationalem in poena seclusionis producere.

Tandem carceres ordinarii sine reclusione solitaria, cum aut sine opera coacta, perscrutandi essent, nisi experientia jam omnes docuisset, incarcerationem communem et in theoria et in praxi, improbandam esse.

Omnia quae hucusque breviter adducta sunt, universe tamquam fundamentum consideranda sunt, in quo opinio sequens instruatur, et quae gradationem poenae seclusionis contineat. Quum gradationem dico, nolo classificationem captivorum *individualem* (1). Dubito enim an in praxi unquam talis classificatio captivorum rationalis institui possit.

Fortasse hoc systema gradationis scopo proposito respondebit.

---

(1) Classificatio captivorum *respectu moralitatis*, in praxi rite fieri non potest; classificatio *respectu temporis* non semper scopo respondet; quidquid moliuntur nihilominus tamen in praxi majoribus difficultatibus omni classificatio laborabit. Apud nos experimentum in carcere Leeuwardiensi institutum est, de cujus effectu opiniones diversae sunt. — In Gallia classificabantur antea malefici (forçats), pro tempore condemnationis. — Vir doct. LUCAS proponit classificationem in quinque divisiones principales, et has singulas rursus in quatuor sectiones. Per has viginti divisiones maleficus *filtratur*, (sit venia verbo), et tandem amelioratus societati traditur. — In theoria certe admirabile, sed quomodo in praxi adhibendum hoc SYSTEMA FILTRATIONIS?

CLASSIS I.

INCARCERATIO TEMPORALIS.

Carcer hic in tres partes dividatur, quarum duae secundum systema cellulare construendae.

A. *Detentis nondum condemnatis. (Voor gearresteerden.)*

Hoc casu semper omnibus systema cellulare Virginianum adhibendum, quoniam conjunctio detentorum saepius incommodum producet et eis molestum erit, (non enim semper ibi maleficos habemus); ab altera parte quoque instructioni criminali nocere potest, cum accusati inter se communicare possunt.

B. *Iis qui in causis correctionalibus aut criminalibus condemnati sunt.*

Condemnati ad incarcerationem criminalem aut correctionalem, (si detentio correctionalis dimidium anni superat), hoc loco debent subire durante mense uno, seclusionem severam pensylvanicam praeparantem, antequam in locum serius designandum transferuntur. Condemnati ad incarcerationem correctionalem infra $\frac{1}{2}$ anni, ibi manere debent, et post mensem unum seclusionis pensylvanicae, secundum systema virginianum tractari possunt.

C. *Iis qui incarcerationem policiae (politiegevangenis) subeunt.*

In hac divisione, incarceratione communi uti licet, nam nihil illorum consuetudini obstat universe. Tamen in codice poenali nostro futuro, magis placet seclusio cellularis hoc in casu. *Cf. Memorie van toelichting op de VII eerste titels van het Wetb. van Strafr. 9 Febr. 1846.*

CLASSIS II.

INCARCERATIO CORRECTIONALIS.

Carcer hic duabus divisionibus constare debet, altera secundum systema virginianum, altera secundum systema auburnianum.

A. *Divisio eorum qui incarcerationem correctionalem subire debent a $\frac{1}{2}$ usque ad 2 annos.*

In hac divisione usurpetur systema cellulare Virginianum, quum maxime interest ne inter se malefici consuetudine jungantur; hoc in casu effectus perniciosi, interdum e seclusione nimis producta solitaria nati, non timendi sunt, quod minoris temporis est. —

Ut poena ibi adhibenda est: Cellula Pensylv. sev. cum aquae et panis diaeta, sine opere ullo. Aggravatio hujus poenae: cellula obscura.

B. *Divisio eorum qui poenam correctionalem subire debent a 2 usque ad 5 annos.*

In hac divisione systema auburnianum modificatum adhibendum est, (25 tantummodo in singulis tabernis officinalibus). Diuturna seclusio tum minus aptum efficit systema cell. Virgin. Tamen interdum nonnullae exceptiones instituendae pro genere diverso individuorum, et tum syst. Virgin. adhibendum est.

Poenae: Syst. cell. Pensylv. aquae et panis diaeta. Poena gravior: cellula obscura.

CLASSIS III.

INCARCERATIO CRIMINALIS.

Hic quoque carcer duabus divisionibus constare debet.

A. *Divisio eorum qui condemnati sunt ad 5-10 annos.*

Ibi systema auburnianum praeferendum est systemati cell. Virgin., quoniam tempus detentionis longius est. In his officinis etiam ex 25 individius constituendis, labor quantum fieri potest, rudior et molestior imponendus.

Poenae: Seclusio cell. Pensylv. sine opere, diaeta panis et aquae. Gravior poena: cellula obscura, fustigatio intra muros.

B. *Divisio eorum qui condemnati sunt ad 10-20 annos.*

Opera coacta publica rudiora, ratione quae pag. 126 sq. indicata est, hiberno autem tempore, çet: quum prohibentur his vacare, tum secl. cell. Virgin:

Poenae: Syst. Cell. Pens. cum diaeta aquae et panis sine opere. Gravior poena: cellula obscura et fustigatio intra muros.

Ecce adumbrationem systematis quod fere ex omnibus aliis compositum est.

Saepe condemnatam audivi conjunctionem diversorum systematum: qua ratione? non intelligo cur scopo respondentia et apta e systematibus diversis, conjungi inter se non possint.

Haec hactenus de hac specie poenarum libertem spectantium. Iam tamen quaestionem proponere cupio omnibus, qui hodierno tempore vires tam acriter intendunt ameliorationi carcerum.

Homo aliquis invalidus, extenuatus miseria, et criminibus prorsus confectus, pauper, pannis laceratis vestitus, sine ulla facultate opificii exercendi qua victum quotidianum quaerere possit, dissolutissimus moribus, potator strenuissimus, verbo, miser omnibus miseriis et criminibus inquinatus, in carcere quodam secluditur.

Post aliquot annos idem homo sed nunc sanus, validus, bene nutritus et vestitus, satis quoque peritus ut opifex manualis, etiam moraliter educatus, temperans, religiosus, cum peculio quodam rursus in societatem regreditur.

Nunc plerique amelioratores theoretici exclamabunt: HOC SYSTEMA CERTE OPTIMUM! Ego au-

tem tale systema prorsus condemno, et verbis Viri doct. HENKE p. 447 l. l. respondebo:

„ Sebst der Galgen würde bald kein geflohe-
„ ner Ort mehr seyn, wenn der Gehängte von
„ demselben nach einiger Zeit wieder herabstiege,
„ besser gekleidet und genährt und unterrichtet
„ als zuvor, und noch dazu mit einem kleinen
„ Geldcapital, um ein nützliches Gewerbe an-
„ zufangen.

In his verbis monitum maximi momenti invenitur, quod attinet ad omnes ameliorationes physicas et morales carcerum, in quibus semper animadvertendum est, legislatorem in puniendo non ad maleficum solum, sed ad societatem quoque attendere debere.

II. DEPORTATIO. Alterum genus poenae libertatem spectantis est deportatio, qua libertas minus directe coërcetur. Haec poena apud nostrates in theoria tantummodo existit. Utrum optandum sit ut in praxi adhibeatur nec ne, dubium est, quum argumenta satis gravia in utramque partem afferri possunt. Nuper eam rejectam vidi ex codice nostro poen. futuro. Cf. *Memorie van toel. supra laud.*

Britannia nos exemplum practicum in his praebere posset, sed relationes eventuum qui perhibentur toto coelo inter se differunt. Vir praeclarus BRIDGE curator inspector, in relatione sua, declarat Britanniam deportatione, ab anno 1788 usque ad 1821, lucratam esse 11,008,833 £ sterl. LISSON autem in *Austral Journal.* et MELLISCH cum multis aliis adversantur; praeser-

tim de his conferri merentur: *Statistical accounts of the Brittish setlements in Austral Asia, including the colonies of new South Wales and van Diemensland. By* C. WENTWORTH *Esq. a native of South Wales. London 1824, 3 Edit.*

Malefici qui nunc transferuntur in Australiam, ante in Americam Septentrionalem transferebantur, ubi tamen nullam coloniam iis specialiter destinatam possidebant, idque eventu faustiore, nam:

1. Anglia liberabatur maleficis.

2. Consuetudo maleficorum inter se plerumque interrumpebatur, quum sensim sensimque miscebantur cum populatione colonorum, et haec separatio maleficorum etiam proficiebat meliorationi morali individuorum criminalium.

Certe haec omnia Angliae utilia erant, tamen Franklin e Boston ad Ministerium Anglicum legatus, ut abolitionem importationis malificorum extraneorum impetraret, oppugnantibus objicit: „Seriez vous content si nous vous importions „le serpent à sonnettes?" Haec quaestio satis indicat iniquum esse maleficos deportare, nisi in coloniam institutam hoc fine, et a patria custoditam.

Et utrum haec scopo respondeant proposito? Dubitamus ob rationes sequentes:

1. Deportatio ipsa minorem poenam maleficis constituit, qui plerumque nullis vinculis affinitatis, nec amore speciali patriae cum loco natali conjuncti sunt.

2. Minime aut parum alios deterret, prae-

sertim homines incultiores rudioresque, quoniam procul poena luitur, (1) quod nisi fallor recidiva in Anglia luculenter probare possunt, quae per 20 hos annos triplicata esse invenimus, scil. 1806—1826 (2).

3. Copulatio magna maleficorum oritur, qua et ipsi et societas et patria periclitatur, nisi custodia severissima et strictissima observatur.

4. Consuetudine continua restricta maleficorum, profecto amelioratio moralis minime promovebitur.

5. Sumtus majores, in receptacula necessaria, armatus, transportationes navesque faciendi (3).

---

(1) Hanc ob rationem deportatio impugnabatur in Gallia, in concione *Comité* anno 1791; tamen servata est, et in recidiva adhibita. » Quiconque aura été repris de justice » criminellement et condamné pour la seconde fois, subira » la peine portée par la loi contre son délit, mais lorsqu'il » aura ainsi satisfait à l'exemple, il sera conduit au lieu » fixé pour la deportation. — Par là, vous remplirez le » double objet, et de punir le recidive, et de délivrer la » société d'un malfaiteur incorrigible."

Cf. *Moniteur* 4 *Juin* 1791.

(2) Ab anno 1825 usque ad annum 1836, crimina contra possessiones, quae deportatione puniebantur, aucta 45/00 scil. a 14000 ad 21000.

Cf. *Chambre des Députés. Discussions sur la loi des prisons. Avril* 1844. *President* Mr Sauzet.

(3) Brittannia transportavit usque ad finem anni 1836, circa 96.558 maleficos in South Wales et van Diemensland; singuli deportati constant fere 82 liv. sterl. In concione cui nomen *House of commons*, Sir William Mo-

Cf. de colonia Britannica deportationis, opus praecl. Mr Jules de la Pilorgerie, *Histoire de Botany Bay*, ubi vitia omnia hujus systematis exponuntur.

Aliis placuit seclusionem cellularem aliquamdiu adhibere in maleficos antequam transportantur, qua dociliores redderentur aut meliorarentur.

Aliis placuit conjungere opus coactum rudius cum deportatione. *Cf. Mr le Colonel* Quentin; *Mémoire couronné à la scèance de la société de Macon, 6 Sept. 1827*, in qua quaerebatur: „ Indiquer en remplacement des travaux forcés: „ une peine, qui sans cesser de satisfaire aux „ besoins de la justice, laisse moins de dégradation dans l'âme du condamné, et proposer „ les mesures à prendre provisoirement, pour „ que les forçats libérés ne soient plus livrés à „ la misère par l'opinion qui les répousse, et „ que leur présence ne ménace plus la société „ qui les reçoit.

Talis ratio, aliquantum modificata, in Gallia 18 Maji 1844 accepta est; statutum est tamen post 10 annos seclusionis, aut si per hoc tempus operibus coactis vacaverant malefici, reliquum tempus condemnationis degendum esse in deporta-

---

lesworth declaravit sumtus factos in singulos maleficos deportatos in Australiam, plus minus 8. l. s. attingere.

Cf. Lipman, *over straffen en strafgest. p.* 21.

In Gallia nuper computatum est: deportatum frs 700; detentum in carcere frs 1000 quovis anno constare.

Cf. *Discuss. Chamb. des Dép. Loi des pris. Mai* 1844.

tione; imo facultatem relinquebant judicibus eos deportare, postquam per 5 annos seclusionem cellularem subierant. Anno 1837, 4 Jan. insula Bourbon ut locus deportationis designata est: eventus hujus conatus nondum cogniti sunt.

III. Exsilium. Tertium genus poenae libertatem spectantis quod eam minima ratione coërcit, est EXSILIUM; SC. CONFINATIO et RELEGATIO.

Condemnatio ad habitandum in loco designato, seu CONFINATIO, tantummodo apud illas nationes institui potest, in quibus malefici poena peracta, sub tutela juridica policiae constituuntur per certum tempus aut per totam vitam, quae tutela quam difficilis plerumque sit, nos docuit quantitas magna recidivorum (rupture de ban), in Gallia.

Interdictio qua maleficus prohibetur in locum designatum habitare aut venire, seu Relegatio, tantummodo ut rationalis poena admitti potest in criminibus politicis, numquam in iis qui deliquerunt contra personas aut possessiones. — Relegatio in his criminibus adhibita, nihil aliud efficere potest, nisi permutationem alternativam malificorum continuam inter diversas nationes; malum tantummodo sede mutatur, et genus maleficorum miscendo potius majorem energiam acquirit (1). Apud exteros magis impune tenta-

---

(1) His conveniunt ea quae Livingston annotavit. Cf. *Rapport sur le projet d'un Code Pénal fait à l'assemblée générale de l'état de la Louisane p.* 53.

» Le coupable chassé d'un pays, doit nécessairement se

mina criminalia instituere improbus potest, quum illis homo probus videtur; contra magis impeditus erit in criminibus apud eos quibus ut maleficus notus est, et ubi poenas graviores recidivis applicandas, timet. In codice autem poenali nostro futuro, placuit hanc poenam retinere. *Cf. Memorie van toelichting, supra laudata.*

» réfugier dans un autre, et partout où il va, il porte » avec lui ses dispositions à enfreindre les lois et à cor» rompre la morale publique. Le même crime qui l'a » fait juger indigne de résider dans sa patrie, le rend nui» sible ou dangereux à la contrée qu'il choisit pour asile."

POENAE PSYCHICAE.

Poenae psychicae quae tantummodo hominem moralem laedere possunt, aut cum aliis poenis conjunctae, aut separatim adhibentur.

Infamia simplex, lege inflicta, sine poenis corporalibus, (eerloosverklaring), vid. infr. et interdum infamia quae cum poenis corporalibus conjuncta est, accurate perpensa est anomalia quam legislator in theoria tantum applicare potest, nam in praxi lex non magis honorem aut existimationem alicui tribuere potest quam adimere; opinio publica hoc in casu majorem vim habet lege poenali, quod saepius in societate accidere observamus, quando opinio generalis et lex contraria contendunt. — Num aliquis unquam defamatos haberet aut Oldenbarneveld nostratem, aut comites Egmond et Hoorn, aut alios qui durante revolutione Gallica poenas infamantes passi sunt?

Sententia legis minime infamiam producere potest, sed judicium opinionis publicae, quae

actionen criminalem improbat et auctorem infamen proclamat.

Tacite autem infamia plerumque cum omnibus poenis corporalibus conjuncta est, et profecto dolendum est id nullomodo prohiberi posse, tamen legislator numquam insuper sanctione sua inutili et non valida eam confirmare debet; quod rex Gallorum intellexitquum lege 28 Aprilis 1832, infamiam sive defamationem (fletrissure), abolitam declarabat.

Praeterea poenae psychicae quae semper infamiam producere conantur, vitiis gravissimis in praxi laborant.

1. Defamatio legis per se perpetua est, nam rehabilitatio lege instituta, minime valet contra opinionem generalem. Et quomodo admittere possumus, aliquem opprobrio perpetuo oppressum, post privationen irreparabilem existimationis publicae, vim sufficientem moralem aut energeiam possidere ad sese ameliorandum, quod tamen nihil ei proficere posset; aut ut officia erga eam societatem impleret, quae eum ut indignum perpetue rejicit, et moraliter necat?

Quum autem de his quoque agendum erit, eo loco ubi *expositionem publicam infamantem* et *stigma* tractabimus, reliqua mittenda sunt, ne in repetitiones taediosas incidamus. — Haec tamen universe notanda: Poenae psychicae hanc ob rem irrationales erunt, nec scopo proposito respondebunt, quoniam:

1. Lex nihil contra opinionem publicam valet eo casu, si in defamatione ei contraria est.

2. Infamia per se semper perpetua est, infamia temporalis est anomalia.

3. Infamia quae tantummodo hominem moralem laedere potest, multis maleficis nullomodo poena erit.

4. Quamquam infamia saepius maleficum ipsum laedere non valet, tamen propinquos et affines ejus indirecte laedit.

5. Infamia iisdem criminibus constituta, non aequo modo diversos maleficos laedere potest.

Feuerbach quum de his agit, mea opinione distinctionem nimis theoreticam constituit, quum poenas psychicas dividit:

1. In poenas infamantes quae infamiam plenissimam producunt, ut est v. c. expositio.

2. Poenas infamantes quae infamiam pro parte constituunt, ut est v. c. degradatio.

Numquam haec divisio arbitraria et non exstans admittenda. Num existit fortasse mensura communis quae indicare posset, quantum alicui honoris aut existimationis auferendum sit, ut plane aut pro dimidia parte infamis sit?

Credo, apud nostrates sequentem divisionem universam institui posse:

1. Poenae psychicae simplices, nempe: expositio, stigma, defamatio, degradatio et executiones in effigie.

2. Poenae psychicae quae poenas corporales fingunt, v. c. rotatio ensis supra caput, et laqueus circum collum constrictus in aggravationem fustigationis poenae.

POENA EXPOSITIONIS.

Expositio ad palum infamantem in usu fuit jam antiquissimo tempore; aevis mediis damnati ad eum praesertim conspiciendi et deridendi collocantur. Diversis nominibus gaudebat: Schraïat, stock, pranger, galgen. *Cf.* de his SCHELTERUS, *voce: Schraïat.* LUNIG. *spicil secul. tom. 1. p. 192*, GLAFEY, *anecdot. p. 487.* sed plerumque tum cum aliis poenis conjungebatur. In Const. Crim. Car. legimus: „ Item so wider den beklagten „ die witheil zu peinlichen straff entlich beschlossen wierdt, wo dan herkommen ist, den „ übelthäther darvor oder nach am Marck oder „ Platz, etlich Zeit offentlich inn stock, pranger „ oder Halsseisen zu stellen, die selbig gewonheyt soll auch gehalten werden."

In lege poenali, qualis est Const. Crim. Car., temporibus incultioribus rudioribusque, nullomodo mirandum est talia instituta existere, imo interdum convenire; sed hoc statuere audeo, expositionem infamantem publicam incon-

gruam esse, ne quid gravius dicam, saeculo decimo nono, in regione quae gloriatur ad fastigium humanitatis pervenisse, in regione ubi nuper philosophi philanthropici magno numero pro humanitate voces ediderunt, in regione ubi jam per multos annos systema poenale animum multorum hominum praeclarorum occupavit. Legimus tamen in *Memorie van toel. voor de VII eerste titels van het Strafw. 9 Feb. 1846.* „Tot „het afschaffen der gewone tepronkstelling en „die onder de galg kan de regering niet be- „sluiten" (1).

Et cur haec poena tam vehementer improbanda est? Quoniam non solum omnibus re-

---

(1) Ed. Livingston, *Rapport sur le projet d'un Code Pénal, fait a l'assemblée générale de la Louisiane. Paris* 1825. *p.* 7. plane contrarium admittit, dicens:

» Le pilori ou carcan et autres inventions pour l'expo- » sition publique, les travaux publics ou de chaîne, la » flétrissure indélibile (toujours accompagnée de peine » corporelle), ainsi que la flagellation, ont tous le vice » radical d'exclure le répentir ou la réforme, d'être iné- » gaux, arbitraires, de n'être, à l'exeption des travaux » publics, que momentanés dans leur application, et de » placer le patient après l'exécution dans la triste alterna- » tive, où de mourir de faim, où de récidiver immédia- » tement. En conséquence il recommence avec plus de » dextérité la même carrière, s'associe de dignes com- » pagnons et met les propriétés au pillage. Il en séduit » d'autres par l'exemple de son impunité dans beaucoup » de cas où il échappe aux recherches, grossit la liste des » condemnés dans ceux ou son adresse est dejouée, et » finit enfin par devenir un sujet propre à l'application » du grand remède: la mort.

quisitis, conf. supra pag. 16 sq., poenae rationalis destituta, sed iis insuper plane contraria est.

Poena debet malum esse malifico, et eum directe et idoneo modo afficere &c.

An expositio hoc universe efficiet? Minime. Confiteor hanc poenam psychicam gravissimo modo hominem moralem laedere, et sensum dignitatis hominis probi, existimationem generalem in pretio habentis, et eum magis cruciare quam unquam poena corporali fieri posset.

Sed in tales homines numquam aut rarissime necesse erit hanc poenam applicare, minime omnium in eos qui incultiores rudioresque sunt, et apud quos omnis sensus dignitatis plane extinctus est, aut qui numquam dignitate morali gavisi sunt. Et quomodo igitur haec poena scopo proposito respondere posset, quum eos tantum in sensu dignitatis moralis laedere valet, qui in iis non existit? Quot sunt malefici errones, sine propinquis aut cognatis, in quibus parva vis laedens hujus poenae adhuc evanescit, quum saepe ignoti sunt vulgo quod infamiam eorum contemplatur?

Proportio accurata, intima, debet existere inter mensuram poenae et criminis.

Plerumque expositio ut aggravatio reliquis poenis adjungitur, sed nunc ea in abstracto consideranda est. Ut ita in abstracto aequa ratione applicetur, ita ut proportio debita inter crimen et malum inflictum observetur, opus esset mensura accurata, qua sensum dignitatis et existimationis diversorum hominum meteri possemus.

Mihi et multis aliis expositio poena esset gravissima, severior quam poena mortis, et in proportione esset cum criminibus maximis; aliis contra aut poena nulla aut levissima erit, nam dignitatem tantum moralem quae non apud eos existit, laedere potest, animal, hominem physicum non potest.

Poena debet alios deterrere &c.

Num fortasse melius satisfaciat huic requisito? Vehementer dubito. Illi enim abhorrescunt a poena expositionis, quibus crimen est dedecus, quibus dedecus gravius est poena mortis, qui sensum dignitatis hominis et existimationis noscunt. Sed illis hominibus non opus est deterritione. Ab altera parte, nemo infitias ibit, expositionem non deterrere posse eos qui omni sensu dignitatis carent, et antea jam ut malefici noti fuerunt, aut qui jam in eo sunt ut tales fiant. Tertium genus spectatorum quod frequentat exsecutiones publicas, est rudius incultiusque, et experientia docuit in eos tantummodo impressionem validiorem produci posse, quum directe, materiali modo, et sensualiter in eos agamus, et certe hoc respectu haec poena effectum nullum producere potest. Poenae inhumanae et barbarae apud eos producent aversionem et indignationem contra instituta poenalia, et potius commiserationem patienti aut subeunti. Poenae physicae corporales et rationales, contra deterritionem et effectum salutarem efficient. Experientia hic quoque docuit, expositionem universe nullum effectum in circumstantibus relin-

quere, imo potius ansam dare irrisionibus importunis, quae effectum apud nonnullos productum, plane extinguunt. Saepius adfui expositionibus, quae nonnullis locis praesertim nundinis forensibus (marktdagen) instituuntur. Vulgus eas considerare solet ut spectaculum jocosum, undique irrisiones importunae proferuntur, nec unquam effectum quem fautores hujus poenae sibi proponebant, observavi.

Poena debet maleficum quantum fieri potest innocuum reddere, et ameliorare.

Certe primo requisito poena expositionis minime satisfacere potest, plerumque autem cum incarceratione conjuncta est, sed nunc poenam illam tantummodo in abstracto consideramus.

Num fortasse vim salutarem in maleficum exercebit? Nonne pudor eum ad meditationem, meditatio ad poenitentiam, et poenitentia ad ameliorationem moralem perducet? Contrarium obtinet. Quando ita jam depravatus est ut nullum sensum dignitatis habeat, tum pudore affici non poterit, et poena haec simplex forma ei erit. — Si pudor omnis eum nondum reliquit, si sese adhuc ameliorare potest, tum haec humiliatio publica, haec defamatio inutilis, scintillam ultimam dignitatis sensus extinguet. Conscientia infamiae suae nunc in societatem prolatae, et quod ut infamis omnibus expositus est, sufficiet ad omnem sensum dignitatis moralis, si existat, plane delendum. Infamia notatis nullum vinculum manet quod eos cum iis hominibus

jungat, quibus lex in perpetuo concessit eos contemnere. Concludo: haec poena omnem sensum dignitatis laudabilem plane extinguit si adhuc exstabat, et nullum commodum in praxi producit. (1) Legislator Gallicus videtur pro parte intellexisse, hanc poenam vim perniciosam exercere in sensum moralem, cum in fine art. 22 Cod. Poen. dicit: „ Néamoins l'exposition pu-„ blique ne sera jamais prononcé à l'égard des „ mineurs de dixhuit ans et des septuagénaires. Quod ad senectutem attinet quae per se verenda est, natura alieni sumus ab eius defamatione. Lex poenalis noster in art. 68 et art. 12. *Besluit 11 Dec. 1813.* idem statuit de minoribus 16 annorum.

Sed jam satis de hac poena, mea opinione plane improbanda: spero fore ut modificatores aut legislatores codicis poenalis novi in patria nostra, exemplum Parmae et Austriae animadvertere velint, ubi mense Martii 1844 abolita fuit.

---

(1) Et tamen haec poena saepe defensa est ab hominibus qui auctoritatem habere censentur, inter alios a viro praecl. Dupin, qui in disputationibus de hac poena in Gallia, anno 1832 his verbis eam defendit:

» L'exposition est une peine morale, elle n'a rien d'a-» troce. Elle agit surtout comme doivent agir toutes les » peines, par l'exemple. Tel qui ne redoute pas la prison » qui le cache aux regards de ses concitoyens, redoutera » l'exposition qui le présente à tous les yeux. — L'expo-» sition à la honte pour avoir méprisé la loi, c'est la plus » morale des peines ???

Discuss. de la Chamb. des Deputés, Moniteur 1832.

POENA STIGMATIS.

Poena stigmatis, quod fortasse nonnulli mirabuntur, potius ad poenas psychicas quam ad corporales referenda est.

Stigma applicatur ferro ex albo candente, in humerum supra scapulum in plerisque regionibus ubi adhuc in usu est, dolorem parvum producit momentaneum, praesertim quum ferrum ex albo candescit; relinquit signum perpetuum quod exsecari potest, sed tamen semper inquisitio accurata inveniet cicatricem.

Sicut expositionem omni sensu, ita et hanc poenam ut irrationalem et scopo proposito non respondentem rejicio, quamquam a multis, inter alios a Cl. TARGET laudatur. Cf. *Observations prélimin: sur le Code Pénal.*

Pro hac poena a nonnullis allatum est: cogitatio, signum infamiae in perpetuum inustum esse, in maleficum cruciatum maximum efficiet, et reliquos valdopere deterret. Effectum salu-

tarem quoque in maleficum exercet ad eum retinendum a crimine in futuro, quum notus hoc signo, poenas recidivorum timet.

His argumentis respondeo: nequaquam deterritio producitur dolore physico, quum dolorem levem et momentaneum prorsus non ut poenam adnumerare possumus; quod ad effectum psychicum attinet, me refero ad ea quae notavi de poenis psychicis universe et de poena expositionis, ne in taediosas repetitiones incidam.

Praeterea haec poena hoc quoque incommodum habet, quod nullo modo meliorationem malefici producere valet, at contra ei omni sensu obstat.

Signum perpetuum infamiae, maleficum per vitam totam persequitur, (1) et conscientia se semper testimonium indelibile infamiae pristinae secum ferre, influentiam noxiam in meliorationem exercere debet. Experientia docet maleficum se inimicum implacabilem hujus societatis constituere, quae ipsi inussit signum infamiae, et vis hujus cogitationis eum arcte criminibus jungit. Haec quidem contemplatio malefici magis

---

(1) Vidimus jam supra, etiam hanc perpetuitatem vitium magni momenti, multis poenis constituere. TARGET nunc autem aliam opinionem sequitur:

» Depuis la revolution la marque a été abandonnée par » une fausse considération, tirée du caractère de perpétuité » qu'elle présente et qu'on voulait abolir, et de la belle » idée morale de la rehabilitation."

idealis est, praesertim nostra in patria ubi stigma vestimentis tegitur (1), sed sufficit experientiam docere, hanc opinionem existere (2).

Etiam qui fautores hujus poenae sunt, adducunt pro ea quod efficit ut rediciva facilius dignoscantur, quod faciliores reddit persequitiones politiae, quae saepius hacce praesumtione in viam rectam ducitur.

Si haec serio et extra jocum ut requisitum necessarium poenae accipere volumus, profec-

---

(1) In aliis regionibus v. c. DANIA, ubi stigma etiam in fronte applicatur, rudiores hoc respectu considerandi sunt hominibus aevi medii. Jam CONSTANTINUS hunc modum poenae applicandae improbavit. Cf. *Cod. tit.* XLVII *l.* 17. » Si quis in metallum fuerit pro criminum depre» hensorum qualitate damnatus, minime in eius facie scri» batur, cum et in manibus et in suris possit poena dam» nationis una inscriptione comprehendi, quo facies quae » ad similitudinem pulchritudinis et coelestis figurata, mi» nime maculetur."

(2) » Pense-t-on qu'un homme, qui frémira à la seule » idée qu'il porte sur lui l'empreinte ou le cachet ineffaçable » de l'infamie, puisse encore sentir l'aiguillon de l'honneur! » Le sentiment de sa honte le tiendra dans une humiliation » profonde, il se croira sans cesse en butte au mépris et à » l'indignation publique, et comment dans cette situation » remonter aux habitudes de la vertu et aux sentiments » d'estime de lui même! On doit donc craindre de prodi» guer une peine qui exposerait le corps social à de nou» veaux malheurs."

Observat. de tribun. d'appel de Caën, *p.* 7. *Obs. de la Cour d'app. de Bruxelles*, *p.* 3. *Obs. du trib. crim. de Rhin et Mos. p.* 9. *Obs. du trib. crim. de la Sarre*, *p.* 2. *Obs. du trib. crim. de Maine et Loire*, *p.* 3. *Obs. de la Cour crim. du Gard*, p. 7.

to stigmatis inustio in fronte et bucca, imo mutilatio saeculorum barbarorum optima ratio foret. In patria nostra, finibus angustioribus circumscripta, facilior cognitio aut prehensio maleficorum minoris momenti est, et hoc leve commodum minime compensare potest incommoda majora quae hac poena producuntur; aut quomodo recidiva cognoscimus, quum malefici antea alias poenas subierint?

In Hannovera et Parma una voce damnata est et abolita; haec poena in Russia quoque decreto, cui nomen *Ukase*, ab ALEXANDRO edito, anno 1810 abolita fuit. In Toscania, LEOPOLD poenam mortis simul cum inustione stigmatis abrogavit.

Quamquam in usu fuit apud Gallos, jam in concione, cui nomen *Assemblée constituante* condemnata est, verbis his: „L'assemblée constituante avait considéré l'application de la *mar*„ *que* comme *immorale*, sans que dans aucun „ cas elle puisse être d'une *utilité reelle;* y „ à-t-on bien réflechi l'orsqu'on a ressuscité „ cette ancienne pratique!" *Conf.* CARNOT *ad* „ *Art.* 7. *N°* 11, *tom.* 1, *p.* 98.

Praesertim de historia hujus poenae conferri meretur, *Responsio* CAMPEGII HERMANNI GOCKINGA *ad quaestionem ab ordine juridica in Acad. Groningana propositam, anno 1825* (1), et *Nalezin-*

---

(1) Quaeritur: disputatio de poena stigmatis, de eius origine atque usu apud diversos populos, deque eius meritis secundum praecipuos juris criminalis scriptores.

zingen over de Straf van het Brandmerk, inzonderheid volgens het Nederlandsch Ontwerp van Strafwetboek van het jaar 1827, door Mr C. H. GOCKINGA, *Lid der Arrondissements-Regtbank te Winschoten.*

Ex praedictis, et ex omnibus quae supra de poenis psychicis et ad poenam expositionis annotavi, concludo: Poenam stigmatis inustionis ut irrationalem, et minime scopo proposito respondentem, rejiciendam esse.

POENA DEFAMATIONIS ET DEGRADATIONIS.

Defamatio poena mere psychica, apud nos introducta est decreto 11 Dec. 1813, et verba in fine art. 10, „ zullende dezelve *ook* in de „ plaats der laatstgemelde straf subïntreren" dubium faciunt, utrum degradatio jurium civilium plane abolienda sit, eique defamationis poena substituenda, an interdum altera alteri substituenda et ambae servandae sint. Quum admittimus hanc opinionem, et verba art. 9 decreti:

„ De straf van eerloosverklaring bij art. 9 „ vermeld, zal dezelfde gevolgen hebben als die „ in het Code Penal aan de degradation civique „ zijn toegekend, zullende dezelve ook in de „ plaats der laatstgemelde straf subïntreren"

cum articulis 8 et 9 Cod. poen. Gal. conferamus, ubi *dégradation civique*, et *interdiction à temps de certains droits civiques, civils et de famille*, invenimus, tum ut consequenter agamus, defamatio quoque partialis aut ad certum tempus, admittenda erit.

Universe jam supra de defamatione egimus, quae perspicuitatis causa eo loco attingenda nobis erat, ubi poenas psychicas generali modo perscrutabamur. Hic ergo tantummodo concludimus; infamia juris in abstracto, per se si non cum infamia facti conjuncta est, anomalia aut somnium est; contra, infamia facti nequaquam indiget confirmatione infamiae juris, ut effectum habeat. Quemnam scopum haec poena igitur habere potest (1)? Defamatio semper perpetua est, licet lex interdum eam rehabilitatione extinguere conetur, quae fictio est minime valens contra opinionem publicam.

Quod ad degradationem partialem aut totalem attinet, haec duplici modo considerari potest.

1. Degradatio jurium civilium in abstracto, sine aliis poenis.
2. Degradatio jurium civilium ut consequentia necessaria poenarum aliarum.

Degradatio jurium civilium in abstracto applicata, est poena inutilis et minime scopo proposito respondet. Omnes profecto mihi contendenti assentiuntur, talem poenam, quae individuo omnem existimationem et dignitatem moralem, quam societas homini tribuere solet, non leviter infligendam esse, ergo tantummodo cri-

---

(1) Carnot *l. l. ad art.* 20 *tom.* I *introduct. p.* 5. La flétrissure présente en effet des inconvenients auquels ils est impossible de parer, sans que jamais elle puisse être d'une utilité bien réelle.

minibus aut delictis gravioribus. Sed in hoc casu rarissime aut numquam *sola* poterit infligi, quum in delictis gravioribus poenae corporales constitutae sunt, quae poenae hanc degradationem tacite afferunt. Ergo degradatio per se in abstracto, superflua est et inutilis.

2. Degradatio ut consequentia necessaria poenarum aliarum corporalium, non solum poena est quae omnibus requisitis satisfacit, sed ea etiam sine incommodo, nullomodo carere possumus. Num in societate homines tales, directe aut indirecte vim exercentes in rebus familiaribus aut politicis tolerare poterimus, quos nuper ut inimicos civitatis ejusque institutorum, poenis afflictos vidimus? Num rationaliter illi homines ut tutores, arbitri, aut testes admittendi sunt, qui nuper poenam subierunt propter crimina erga personas aut possessiones commissa? Hanc ob rem poena degradationis, et interdictio ad jura civilia exercenda, ut consequentia poenarum corporalium necessaria erit, et fortasse legislator noster errabat quum defamationem plane, aut interdum ei substituere statuebat, quoniam haec praeter vitia supra pag. 140 sq. memorata, numquam rationaliter ad certum tempus, aut pro parte, adhiberi potest. Concludimus ex supra dictis:

Defamatio aut degradatio numquam *sola* adhibenda sunt, nec lex eam specialiter insuper aliis poenis addere debet; tantummodo scopo proposito respondebit, si tacite et semper cum

poenis corporalibus conjungitur, et eas necessario comitatur (1)

Antequam ad poenas psychicas quae poenas corporales fingunt transeamus, pauca monenda sunt de exsecutionibus in effigie.

Haec constant, aut: *expositione condemnationis in catasta et aliis locis*, aut *exsecutionibus in cadavere aut in simulacro*.

Inter haec certe exsecutiones in cadavere aut in simulacro plane rejiciendae sunt, lex et judex laedunt dignitatem suam simulacris cruciandis, et pudor eos abstinere debet ab injuriis in reliquias corporis humani, quae tantummodo simulacrum malifici constituunt (2).

Publicationi condemnationis in castasta et aliis locis, (apud nostrates in usu) nihil obstat, si malificus profugerit aut prehendi non potuerit. In omnibus aliis casibus et alio modo applicata rejicienda erit, quoniam haec poena plerumque magis affines cognatosque indirecte, quam maleficum ipsum laedit.

---

(1) Legimus iu *Memorie van toelichting voor het Strafwetb. snpra. l.* 9 *Febr.* 1846. » Naar het oordeel » der regering, moet de eerloosverklaring als eene op zich » zelve staande straf, niet uit de rei der straffen worden » weggenomen."

(2) In nonnullis civitatibus adhuc in usu. — In Modena, in nonnullis casibus cadaver suicidae patibulo suspenditur.

POENAE PSYCHICAE QUAE FINGUNT POENAM CORPORALEM.

Sectio altera poenarum psychicarum, conf. supra pag. 142 continet: *Poenas psychicas quae fingunt poenam corporalem*, cujus generis decretum 11 Dec. 1813, nobis duas praescribit, nempe: *Rotatio ensis supra caput* et *laqueus collo circumstrictus*, *(tamquam aggravatio poenae fustigationis)*; hae in usu practico cum aliis poenis conjunctae, nunc tamen in abstracto perscrutandae sunt.

Quod ad rotationem ensis supra caput attinet, animadverto praescriptionem: „ Het zwaaijen „ van het zwaard over het hoofd uit te voe- „ ren op een schavot, met alle dezelfde toebe- „ reidselen welke bij de onthoofding worden „ waargenomen:" omni respectu, naturae humanae non aptam esse:

Omnes solemnitates praescriptas; h. e. spectaculum, quod nullum effectum sequatur, potius risum et jocum excitare quam deterritionem. Adi talem exsecutionem, et intelliges omnes has formalitates risum excitare debere, quum post ictum fatalem videbis maleficum caput illaesum tollere, quasi mirantem, *haec omnia esse.* Haec poena est mons ille parturiens praeclari Horatii. Ridiculum illud solum jam satis legislatorem condemnaret, nisi etiam haec poena vitiis aliis maximis laboraret. *Physice*, nullum malum malefico infligat, *psychice* eum plerumque non magis laedere potest, quoniam supra vidimus, poenas psychicas tantummodo dignitatem hominis moralis laedere, quae plerumque frustra apud maleficum quaeritur. Poenae quae risum producunt, non multum profecto valebunt ad deterritionem producendam, et quum eam accurate perscrutamur, videbimus omnibus requisitis carere, quae in poena rationali requirimus. Rotatio ensis supra caput, cum omnibus solemnitatibus decapitationis, est *parodia* laeta poenae tristissimae.

Omnibus, quae de poenis dixi, accurate perpensis, intelligo multa adhuc dicenda superesse; et in fine hujus dissertationis lubenter confiteor, multa profecto nimis leviter pertractata esse. Sed jam satis, tempus urget ut opus ingratum dissertationis conscribendae absolvam: hoc tamen bene, quod minus verendum mihi sit judicium severum lectorum, quum in memoriam revoco, experientiam me docuisse: a tempori-

bus remotissimis ad hunc usque diem, dissertationes academicas ad varios eosque diversissimos usus adhiberi, quum lectio magis ut *fictio* consideranda est.

TANTUM.

THESES.

I.

Poena mortis minime injusta, inhumana et ad propositum non accommodata, videtur.

II.

Poenae quae bona afficiunt, uti mulctae, universe limitibus angustis circumscribendae sunt, et plerumque tantummodo delictis policiae conveniunt.

III.

Fustigatio sive verberatio, prudenter adhibita, inter optimas poenas corporales referenda est.

IV.

Si adhibetur poena decollationis, improbanda est abrogatio decollationis mechanicae, ope securis caducae.

V.

Poena strangulationis praeferenda est suspensioni, quoniam et conscientia sui et vita, constrictione mechanica continua et validiore laquei, meluis directi, citius extinguuntur.

VI.

Nec crassitudo laquei, neque modus suspensionis, (cum dejectione violenta, cum rotationibus, *wristed motion*, aut sine ictu), eam vim habent, quae universe iis tribuitur, quum nullomodo faveant constrictioni validiori, luxationi, aut citiori extinctioni vitae aut conscientiae sui.

VII.

Poenae expositionis et stigmatis prorsus rejiciendae sunt.

VIII.

Infamia natura sua perpetua est, et hanc ob rem ut poena rejicienda.

IX.

Systema cellulare Virginianum universe optimum habendum est.

X.

Recte Meijer, *Esprit, origine, et progrès des institutions judiciaires, tom. V, p. 443.* „ L'abolition des peines corporelles ne peut avoir

„ l'approbation que de ceux qui ne connaissent
„ la société qu'en chimère, et doit être rejeté
„ par l'expérience."

XI.

In l. 32. § 2. D. de Acq. vel amitt. poss. sic legendum: *nam alioquin nullus consensus infantis est accipienti possessionem.*

XII.

De arbitrio ex compromisso, jure nostro melius cautum est quam jure Francico.

XIII.

Designatio executoris testamentarii, in testamento olographo sed non deposito apud notarium, valida esse nobis videtur.

XIV.

Melior art. 310 Cod. Civ. Neerl. quam art. 315 Cod. Civ. Franc., ubi verba „ *pourra être contestée.*" minime scopo proposito respondent.

XV.

Quamquam legislator cod. proc. Franc. recte arbitrium prohibuit in casu art. 1004 nihil tamen effecit partibus relicta potestate transigendi.

XVI.

Art. 247. Cod. poen. aequitati et sanae rationi adversantur.

XVII.

Recte Sue, in opere *le Juif errant*, improbat cautionem in praevia inclusione.

XVIII.

Systema quod dicitur Porto Franco, prodesset mercaturae patriae nostrae.

XIX.

Studium medicinae forensis non prodest, imo noxium est jurisconsulto, nisi totam disciplinam medicam complectatur. — Semper medicus praeferendus jurisconsulto, in dijudicandis controversiis ad medicinam forensem pertinentibus.